DE

THUCYDIDEI OPERIS LIBRI OCTAVI
INDOLE AC NATURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICIANA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXIII m. MARTII a. c.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS HELLWIG

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

CAROLUS DE KOBLINSKI, CAND. THEOL.

ALBERTUS FLEISCHER, STUD. PHIL.

HUGO SACHSSE, S. S. THEOL. LIC. PHIL. DR.
LIBB. ARTT. MAG. STUD. JUR.

HALAE SAXONUM

MDCCCLXXVI.

Thucydidei operis libri octavi indoles atque natura cum saepissime a viris doctis in disputationem vocata sit, neque tamen omnes quae institutae sunt quaestiones ad certum finem pervenerint, proposuimus nobis, ut totius operis rationem habentes denuo de ea re inquiramus quidque statuendum sit, explicemus.

Ac primum quidem ei occurrendum est, quod dixerit quispiam, non consentaneum esse, nos a toto opere partem quandam separare, quam ne scriptor quidem ullo modo separaverit et in eius naturam atque conditionem inquirere; nam si de ea parte aliquas leges constituerimus, fieri posse, ut re vera eae vel in maius vel in minus tantum spatium cadant. Attamen quamquam constat, non Thucydidem opus suum quantum possidemus in octo libros distribuisse, tamen si eius partis quam nos octavum librum appellamus propria natura demonstrata sit, ea toto libro octavo contineri debet. Nam si quo loco nescio quibus de causis Thucydides a consueto genere dicendi discesserit, hoc profecto nullo alio loco fecit, nisi eo, quo rebus Siciliensibus ad finem perductis iam ad novas et admodum diversas res explicandas sese convertat. Ex quo tempore libri octavi narratio incipit.

Qui liber si paulo maiorem attentionem adhibemus, maximam nostram dubitationem movet, cum a priorum librorum genere haud parvo discrepare videatur. Quare fuerunt, qui coniicerent, octavum librum Thucydidi abiudicandum aliique auctori vel Theopompo vel Xenophonti vel filiae Thucydidis attribuendum. Quae sententiae, quamquam et antiquis temporibus a Marcellino et recentioribus a Roschero, Kruegero, aliis viris doctis repulsae sunt, tamen in notanda utriusque partis maxima diversitate non acquiescere debemus sed causas novae ac memorabilis rei exquirere.

Tria autem potissimum in libro octavo Thucydidei operis sunt, quae virorum doctorum ingenia maxime exercuerunt; primum, quod directae orationes in eo paene nullae inveniantur,

alterum, quod sermo parum expolitus atque elegans sit, tertium, quod in eo quaedam occurrant, quae in reliquam scriptoris narrationem atque iudicium non satis quadrare videantur. Quos locos paulo explicatius recensere libet.

Atque ut ad primam partem disputationis nostrae, qua agitur de orationibus libri octavi, accedamus, scriptor, cum in septem prioribus libris homines, qui concionati sunt, saepissime ipsos loquentes faciat, ut quarta fere eorum pars directo sermone expleatur, in octavo libro hanc rationem semel secutus est.

Cuius rei quae fuerit causa multi iam viri docti meditati sunt; neque ea quaestio ita refutari potest, ut dicatur, scriptorem etsi orationes directas adamaret, tamen inconsulto fortasse eo genere dicendi in libro octavo abstinere potuisse. Considerato enim consilio in prioribus libris Thucydidem directas orationes adhibuisse et ex ipsius verbis (l. I. c. 23) et inde apparet, quod eas non nisi ingenio perfectas et industria elaboratas videtur protulisse. Porro si reputamus, cum verborum descriptione tum rerum iudicio talem Thucydidem se praebere, qui animum constantem atque in se compositum habeat, oportet ut censeamus, Thucydidem non temere a certo proposito abscessisse, sed in octavo libro directas orationes aut consilio omisisse aut ne postea adderet, cum in animo haberet, morte esse impeditum.

Erraverunt igitur ii, qui ut Cratippus, Dionysius, Odofredus Muellerus existimabant, orationibus directis Thucydidem in octavo libro propterea abstinuisse, quod eas aequalibus displicere intellexisset. Levis profecto existimatio nec digna summo scriptoris nostri ingenio.[1]) Alii rem ita maxime diiudicaverunt, ut dicerent, morte interveniente Thucydidem octavum librum non satis excolere potuisse, cum non dubium esset, quin potestate data multas earum orationum, quae nunc obliquo sermone leguntur, in directas mutaturus fuerit. Unde profectus Roscherus etiam de origine ac natura Thucydidei operis nonnulla statuere sibi visus est, cum censeret, Thucydidem singulas libri sui partes iam ad finem per-

---

[1]) Roscher: Leben, Werke und Zeitalter des Thukydides. S. 351 fg. — Krüger: Dionysii Halikarnass. Historiographica. S. 251. (Aliter autem iudicat: Untersuchungen über das Leben des Thuk. S. 79). — Poppo: Thukydides. P. II vol. I C. 1. — Odofr. Müller: Geschichte der griech. Literatur II, 351, 367. — De Cratippo inspiciendus est Dionys. Halicarn. p. 347.

ductas retractare solitum esse, ut tum demum orationes antea summatim insertas in directas transformaret.[1])

Atque ut ipsi quoque de hac re iudicium nobis comparemus, totam quaestionem inde incipere debemus, ut primum ex prioribus septem libris certas leges consequi studeamus, quibus rectarum orationum usus apud Thucydidem describatur; deinde his legibus ad octavum librum adhibitis diiudicemus, directae orationes quibusdam locis utrum postulentur necne.

Quod si de rectarum orationum usu quaestionem instituimus, ne inane opus sustulisse videamur, antea profitendum est, posse certas leges inveniri, dummodo ea memoria repetamus, quae supra de constanti Thucydidis ingenio et considerata ratione dicendi prolata sunt.

Alia iam quaestio oritur, num omnes orationes directae et vel minimae respiciendae sint. Ac si consideramus, omnium orationum directarum unum quoddam esse commune, scilicet ut loquentium hominum ipsa verba nobis proponant, dubium esse non potest, quin summam talium orationum naturam ac vim, quatenus ad commune illud spectet, etiam in minimas cadere oporteat. Quid? quod his ipsis natura illarum vel optime cognosci posse videatur.[2])

Ut iam in ipsam rem ingrediamur, summa est Roscheri viri doctissimi laus, quod, quantum equidem scio, primus cognovit, Thucydidis historiam, ut recte iudicatur, eodem quo artes modo esse tractandam, cum ex similibus nascendi legibus et aliquam in partem iisdem atque ceterae artes etiam illa principium capiat.[3]) Quamquam non satis tenuisse videtur, omnem artem primis initiis non normas vel regulas extra allatas sequi, sed ipsam demum eo modo, quo in lucem prodit, sequentibus leges constituere. Quod ut ad Thucydidem adhibeamus, equidem existimo, minime eum curavisse, ut certas enarrandi rationes respiciens opus suum quam perfectissimum redderet,[4]) sed id tantum operam dedisse, ut omnibus belli partibus diligentissime cognitis quam accuratissimam totius imaginem sibi proponeret. Quam postquam literis depingere coepit, nihil antiquius nostra sententia habuit, quam

---

[1]) Roscher p. 162, 163.
[2]) cfr. p. 6.
[3]) Roscher p. 148.
[4]) Roscher p. 166, 167.

ut ea quae ipsius animo obversarentur atque eodem modo quo obversarentur memoriae traderet. Quod spectantes ii recte sentire videntur, qui dicunt, Thucydidem luctari cum lingua; non quo sermone optime exculto lectores delectare velit, sed quia id, quod ipse cogitat, verbis atque enuntiatorum formis quam proxime assequi studet. Cuius rei testes cum totus liber tum orationes directis sermonibus prolatae esse possunt. Et quampuam id sentiri potius quam verbis demonstrari debet, tamen ad sententiam nostram probandam praeter anacolutha, quae creberrime occurrunt, afferri liceat, omnium primum in enuntiatis formandis id Thucydidem prospicere, ut ea verba, quorum vis maxima sit, primo loco ponat et tanquam coacervet, idque grammatica enuntiati structura ac pulchritudine saepissime posthabita.

Sed ut iam eadem ad vim ac potestatem orationum directarum referamus, persuadere nobis non possumus, Thucydidem, priusquam scribere inciperet, secum considerasse, quo et quibus legibus designato loco oratio directa adhibenda esset. Quod Roscherus existimare videtur, qui dicat, scriptorem nostrum in enarrando bello quatuor summos locos respexisse, et ubi quisque eorum maxime appareret, ibi potissimum oratione directa usum esse, nec minime cum duo vel plures una animos nostros in se verterent.[1]) — Immo cum in bello quatuor illae res plurimum valuissent, necesse fuit, ut ingeniosus scriptor, si quidem imaginem totius belli sibi obversantem exprimere volebat, eas etiam maxime quamquam quasi ipsi occulte distingueret. Quae sententia cum Thucydidis ingenio magis ad argumentum quam ad formam converso tum cuiusvis artis origini magis respondeat atque ex ceterarum artium historia fortasse fulciri possit.[2]) Atque nunc quidem quispiam dicat, quatuor summos locos in Thucydidis opere esse, et ubi quisque maxime eluceat, directam orationem inveniri, quamquam ne haec quidem sententia in omnes directas orationes quadret; originem vero illarum orationum ex certo consilio scriptoris repetere, pro falso habendum est. Ac ne quis eam argumentationem

---

[1]) Roscher p. 167 i. p.

[2]) Schelling: Ueber das Verhältnis der bildenden Künste zur Natur: Schon längst ist eingesehen worden, dass in der Kunst nichts allein mit dem Bewusstsein ausgerichtet wird, dass mit der bewussten Tätigkeit eine bewusstlose Kraft sich verbinden müsse, und dass die vollkommene Einigkeit und gegenseitige Durchdringung dieser beiden das höchste in der Kunst erzeugt.

inanem ac levem esse existimet! Nam quo magis statuimus omnem directarum orationum vim ac naturam ex argumento et toto scriptoris ingenio deducendam esse, eo magis confidere possumus, etiam in octavo libro argumentum eam formam postulasse, quae sibi apta esset. Quare quod antea diximus, consilio Thucydidem narrationi suae orationes directas inseruisse, nunc ita mutandum est, ut dicamus, ipsa re eum adductum esse, ut alias partes operis sui extolleret, alias tenuiore genere dicendi magis abderet.

Quod si quaerimus, quae propria illa orationum directarum vis sit, leviter iam significata est. Nam si consideramus, res agi et factis et dictis, cum et facta et dicta pari modo causae rerum esse possint, apparet, utraque nobis proponere boni scriptoris esse. Quod etiam Thucydides bene intellexit, cum capite 22 libri I demonstraverit, quas rationes in utrisque explicandis secutus esset. Et cum ex toto scriptoris nostri opere et praecipue ex eo quem modo attulimus loco appareat, fidem historicam eum quam diligentissime servavisse, efficitur singulis quibusque orationibus verum argumentum subesse. Attamen perspicuum est, orationes Thucydideas inter se admodum discrepare, quod primo obtutu ita manifestum fit, ut aliae directa aliae obliqua forma proferantur. Quaeritur igitur, quae ratio inter eas intercedat. Si antea ostendimus et dicta et facta hominum scriptori referenda esse, dubium non est, quin dicta, si quidem id tantum interest, ut de argumento doceamur, obliquo sermone aptissime enarrentur; qui quidem modus etiam ei, quo facta explicantur, maxime respondet. Utroque enim dicendi genere scriptor ea quae narrantur, omnino praeteritis illis temporibus et dici et agi facit neque tanquam in praesens tempus promovet. Itaque si historiam narrationem solam factorum et dictorum interpretamur, contendere possumus, obliquum sermonem ad orationes proferendas adhibitum in primum historiae finem maxime cadere.

Apparet autem apud Thucydidem etiam directas orationes eo munere fungi, ut de iis quae dicta sunt nos doceant. Sed praeter commune hoc omnium orationum directis orationibus etiam aliud officium attribuere debemus, cuius naturam ita reperiemus, si in ipso scriptoris opere cognoverimus, quidnam directa oratio plus efficiat quam obliqua.

Ac primum quidem cum ipsâ dicendi formâ homines qui loquuntur et apud quos alii loquuntur oculis nostris proponantur, fit, ut argumentum orationis animis nostris magis admoveatur; et

si homines insignes, qui apud aequales multum valebant, tali modo magis in lucem efferuntur, fieri potest, ut melius nobis repraesentemus, quae potestas ac vis eorum fuerit. Denique ut facile cerni potest atque etiam postea videbimus, oratio directa non solum argumenta dictorum refert, sed plerumque ea quae dicta sunt in maiorem considerandi locum extollit, cum quae cuiusvis rei summa natura ac vis sit, perspicuum reddat.

Quibus ex rebus apparet, scriptorem directis orationibus id potissimum efficere, ut attentionen nostram quam maximam excitet. In quo tamen non respicit vim, quam ea verba quae directa forma referuntur in rebus agendis habuerint, sed eam vim, quam ipsum illud tempus, quo habentur, habuerit. Plurimae enim orationes directae inveniuntur (ut I, 53; II, 39; eae quae a ducibus ad milites habebantur), quae ad ipsas res agendas minimum valebant, ad nostram rerum cognitionem vel plurimum.

Quod si directarum orationum est, res quae aguntur ita oculis nostris proponere, ut attentius atque studiosius eas contemplemur, sequitur, iis potissimum locis eas occurrere, quorum gravitas quaedam propria sit. Graves autem illi loci esse possunt, aut propterea quod in iis momentum rerum est, aut quod singularem atque memorabilem alicuius civitatis speciem praebent. Quibus locis ita orationes directae valent, ut loquentes quasi praesentes oculis nostris proponant nosque ut audiamus faciant; atque etiam ita, ut ipsa rei disputatione nos magis ad universalem, ut eo verbo utar, cogitationem alicuius rei exhortentur. Neque tamen utrumque semper coniunctum est, cum orationes inveniantur, quae non quidem priore illa vi careant, cum ea omnium directarum orationum propria sit, sed illa posteriore, quaeque, cum ne ipsae quidem considerationem rerum instituant, sola dicendi forma attentionem animi nostri cieant. Quo genere directarum orationum, cum appareat alium finem velut docendi ei subesse non posse, maxime probari videtur, primam vim ac potestatem rectae allocutionis apud Thucydidem eam esse, ut res nobis repraesententur et tanquam ante oculos proponantur.

Nam si orationes directas, quae inveniuntur his locis I, 53; II, 13; III, 113; IV, 38 contemplamur, nonne singularis in iis inest vis, quae animos nostros ad ea quae geruntur alliciat? Quae vis efficacior fit, quod eae orationes satis acutae ne dicam nimiae sunt. Optime igitur dicta Peloponnesiorum et Atheniensium l. I c. 53 nos impellunt, ut animis nostris proponamus, ad flammam

quidem belli scintillam nondum accensam esse, primum autem iam inter Graecos homines armis decertatum esse[1]) Quam porro mirabili vi in c. 12 l. II vox Spartani viri: ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει pellit nos, ut nunc nullam iam viam pacis inter duas potentissimas urbes servandae restare clarissime nobis repraesentemus! Praetereo c. 113 l. II, in quo verba caduceatoris Ambraciensis magnitudinem cladis acceptae maxime in animos nostros revocant; responso vero Lacedaemoniorum c. 38 l. IV relato num quid melius nos adducere potuit, ut tempora consideraremus, quibus Athenienses in rebus maxime secundis, Lacedaemonii in summis angustiis versarentur?

Totus denique numerus earum orationum, quae ut a ducibus apud milites habitae a Thucydide proferuntur, quamquam etiam argumenta multum variata et singulis temporibus accommodata sunt, tamen id potissimum effecit, ut cum iisdem stadiis ac voluntatibus atque milites illi animis tanquam nostris in pugnam procedamus. Quibus ex rebus apparet, in Thucydidis opere primariam orationum directarum vim esse non docendi sed movendi.

Altero argumento sententiam nostram probabimus si adversariorum sententias reiicere conati erimus.

Sunt enim multi qui dicant, Thucydidem directis orationibus id agere, ut nos doceat de hominum moribus ac consiliis, de rerum statu ac natura. Quod sicut modo demonstratum est, ita quidem falsum est, ut dicatur, eam esse primariam orationum directarum vim. Quae si esset, discrimen ad ipsam potestatem spectans inter obliquas et directas orationes statui non posset, cum etiam obliquis orationibus homines et res depingantur.

Porro ideo docendi vim orationum directarum non propriam appellare debemus, quod saepissime etiam suis verbis qualis summorum virorum indoles et natura fuerit, explicat, ut de Cleone III, 36, 6; IV, 21, 3; 28, 5; de Brasida IV, 81; de Nicia V, 16; VII, 42; de Alcibiade V, 43; VI, 15; de Hermocrate VI, 72; de Pericle II, 65, de aliis viris aliis locis. Atque etiam de rerum gerendarum natura, de civitatum voluntatibus, de hominum consiliis cum multis aliis locis disserit Thucydides tum his: II, 21; 85, 2; IV, 77; 80; 81; 106; 108; V. 14—18; 40; 42; 71; VI, 88.

Adde quod, ut paulo ante exposuimus, orationes directae

---

[1]) Non de rerum conditione illis verbis nos edoceri inde perspicuum fit, quod antea satis de ea re explicatum est.

occurrunt, quarum summam vim ipso argumento contineri vix quisquam contendere ausit.

Denique si id potissimum scriptor in animo habuerit, ut directis orationibus nos de hominibus vel de rebus edoceret, singulis orationibus homines singulos depingere debebat neque, ut saepius fit, pluribus; et de rebus exspectandum erat, ubi singulae res fieri incipiunt, nos instrui orationibus. Iveniuntur autem saepissime aliis locis.

Quibus autem locis orationes directae inveniantur iam explicaturi sumus.

Si totam belli Peloponnesiaci narrationem animo complectimur, quamquam Roschero non concessimus, certos quosdam historiae locos Thucydidem in disserendo esse persecutum, id tamen apparet, totum opus in multas partes divisum esse, quarum quaeque uno quodam argumento contineatur. Ut exemplum afferamus, liber quartus in quinque fere partes maiores dividi potest, quibus his de rebus agitur: c. 2—41 de rebus Pyli et Sphacteriae gestis, c. 66—74 de bello Megarensi, c. 78—88 de rebus a Brasida in Thessalia et Thracia gestis, c. 89—101 de clade Deliensi, c. 102—135 de rebus a Brasida in Thracia gestis. Interiectae sunt suis locis minores partes ut c. 42—45 de proeliis apud Corinthum commissis, c. 46—48 de contentionibus Corcyraeorum, atque minimae ut c. 1; 24. 25; 49—51; aliae, quae ita dispositae sunt, ut et temporum ratio haberetur neque cursus narrationis alieno loco interrumperetur.[1]) In illis igitur maioribus partibus directae orationes inveniuntur atque iis locis, quibus res quae aguntur ad discrimen quoddam venturae sint. Hac re quid scriptor agere potuit, nisi ut animos nostros incitaret, quo maioribus studiis punctum aliquod temporis comprehenderent et tanquam praesens contemplarentur? Atque id quidem animi nostri natura duce. Nam eo ipso attrahimur, quod ii homines, qui tunc vixerunt, quasi praesentes nobis depingunt, quomodo rebus quae geruntur ipsi moveantur.

Neque aliud quidquam persequitur quam quod epici poëtae, qui et omnes res quam maxime ad oculorum quasi sensum revocant, et quidquid quisque dixit, ipsum dicentem fingunt. Sed cum

---

[1]) Apta ratione Thucydides ad novam rem enarrandam tum saepe se convertit, postquam de re aliqua disseruit, quae longius temporis spatium in eodem statu perseveratura sit, ut III, 19, 20—24; IV 77. 78.

hi eo genere ubique utantur, Thucydides directam allocutionem non nisi iis locis adhibet, quibus id agat, quod poëtae semper agunt, scilicet ut personae animos nostros ad se et ad ea potissimum tempora quibus loquuntur convertant.

Atque ut iam totum nostrum de Thucydidis orationibus iudicium certis finibus describamus, Thucydides, quo magis enarrationem belli suae ipsius existimationi accommodaret et tanquam lumina rerum animis nostris propius admoveret, quibusdam in partibus, quae contemplatione dignissimae viderentur atque iis locis, quorum momenta summa essent, ipsos homines tanquam produxit ac loquentes fecit atque talia loquentes, quae et originem ducerent ex rebus et gravitatem rerum maxime perspicuam redderent. — Quo adducebatur non ita, ut consideraret, quemadmodum quasdam operis sui partes in animos hominum magis induceret, sed ita, ut ingenium suum atque ipsam naturam humanam sequeretur. Postquam autem id quod volebat assecutus esset, ipsum orationum directarum vim perspectam habuisse nemo sanus neget.

Sequitur ut ex iis, quae adhuc de directis orationibus protulimus, priores septem libros operis Thucydidei examinemus.

In primo operis sui libro inde a c. 24 primum scriptor de discordiis Corinthiorum et Corcyraeorum disserit. Atque ea quidem, quae ante pugnam ad Actium commissam (c. 28) altera civitas ab altera postulavit, obliquo sermone quamquam aperte et dilucide enarrantur. Postquam vero res, quae initio ad duas tantum civitates pertinuerit, ita tanquam in lucem totius Graeciae deducitur, ut utraque civitas ab Atheniensibus auxilium petat, ipsa legatorum verba Athenis facta referuntur (c. 32 — 36; 37 — 43).

In rebus deinde Potidaeatarum, quae c. 57 et sequentibus explicantur, directae orationes non reperiuntur, cum quid legati Athenis et Spartae impetraverint, suis verbis scriptor depingat. Cuius rei causa nulla est, nisi quod inde a c. 67 directis orationibus in concione Lacedaemoniorum habitis animi nostri ad summum eius temporis momentum intenduntur. In qua primum quidem suis verbis Thucydides dicit, quae crimina fuerint a Corinthiis et Megarensibus legatis maxime allata; deinde autem ipsos Corinthios loquentes facit, neque de ipsa causa Potidaeatarum sed in universum de discrimine, quod inter Lacedaemonios et

Athenienses intercedat. Neque legati Athenienses qui respondent de causis prolatis verba faciunt, sed de potentia et meritis Atheniensium. Porro Archidamus Lacedaemoniorum rex a bello temere suscipiendo revocat cives, cum et longum futurum sit et summa omnium virium intentione gerendum; atque ostendit, uno tantum modo bellum feliciter geri posse, si incursiones fiant, societates Atheniensium dirimantur, Lacedaemonii socios acquirant. Sthenelaides denique ephorus Archidamo obloquens sententia vincit, concioque suffragium fert pacem ab Atheniensibus corruptam esse. Maximum profecto ac gravissimum momentum! Ex re igitur erat id directis orationibus magis extolli; quod ita fiebat, ut et naturae ac potentiae duarum potentissimarum civitatum, quae postea maxime bellum gerebant, nobis proponerentur, et iam significaretur, quae duae et inter se diversae de bello sententiae Spartae essent.

Plebiscito Spartae facto bellum quamquam certum erat susceptum iri, nondum tamen decretum erat. Quod in conventu omnium sociorum Peloponnesiorum Olympiae habito factum est (c. 121 sq.). Atque id quoque gravissimum tempus directa oratione legatorum Corinthiorum quasi ante oculos nobis proponitur. Nunc autem non iam explicant bellum suscipiendum esse, sed quomodo optime geri possit, ut intelligamus, qua spe ac ratione Peloponnessii ad bellum aggrediantur. Qua re nonne nostrum quoque studium maximum excitatur?

Cui orationi non dubium est, quin ex parte Atheniensium altera respondere debeat. Et cum ea quoque id agatur, ut animis magnitudo belli proponatur, ubi de suscipiendo bello Athenis deliberatur, Thucydides suo iure Periclem loquentem facit, qui non solum summus omnium aequalium erat, sed cuius ratio res administrandi bellum etiam maxime moverat. Quam orationem illi Corinthiorum proprie respondere, ut etiam Atheniensium civitatem respicientes bellum maximum fore cogitemus, etiam eo sequitur, quod quibusdam in verbis et cogitatis altera proxime accedit ad alteram.[1])

---

[1]) I. 143: *εἰ τῶν Ὀλυμπίασιν η Δελφοῖς χρημάτων μισθῷ μείζονι πειρῷντο ἡμῶν ἀπολαβεῖν τοὺς ξένους τῶν ναυβατῶν* — I. 121: *ἀπὸ τῶν ἐν Δελφοῖς καὶ Ὀλυμπίᾳ χρημάτων. δάνεισμα γὰρ ποιησάμενοι ὑπολαβεῖν οἷοίτ᾽ ἐσμεν μισθῷ μείζονι τοὺς ξένους αὐτῶν ναυβάτας.*

Lacedaemoniorum postulatis ab Atheniensibus reiectis bellum iam pace mutatum est, et c. 10 l. II. Archidamus rex hostium terram invadere paratus est. Sed cum, priusquam id faciat, primarios militum de gravitate rei edoceat, nos quoque ad talem considerationem impellimur; ad quod plurimum valet verbum nuntii supra laudatum: *ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει.*

Atque exspectet quispiam, etiam ex parte Atheniensium directam orationem c. 13 afferri. Quamquam id quod Thucydides agebat, ut ipsum gravissimum tempus oculis nostris proponeret, iam assecutus est, optimeque oratione ab eo habita, qui prior ad rem descendit. Sed nescio an alia quoque de causa scriptor c. 13 verba Periclis obliquo sermone retulerit. Nam cum prima Periclis oratio (I, 140—144) illi Corinthiorum (I, 120—124) respondere deberet, Corinthii autem in universum de potentia ac facultatibus Peloponnesiorum dixissent, similia Pericles quoque dicere debebat. Tunc autem iam singillatim de opibus Athenarum dicit et tanquam rationem earum reddit. Ea autem argumenta, quae ad singulas tantum res spectant, ut etiam infra videbimus, obliquo sermone tractare solet. Quid? quod ea fortasse re scriptor commotus est, ut l. I c. 144, 1 non tam ex Periclis quam ex sua ipsius ratione Periclem dicentem faceret, se de iis rebus, ex quibus Athenienses bonam spem capere possent, postea dicturum esse. Talis enim ad singulares res spectans oratio neque illi Corinthiorum neque directae formae congruebat.

Levibus tantum rebus gestis primus belli annus continetur. Postquam autem peractus est, si quis apud se considerat, tamen eo singularis apparet, quod primi in bello cives interfecti sunt. Primae autem calamitates eo magis sentiuntur, quo minus homines rebus adversis assueverunt. Quare ex omnibus orationibus funebribus in bello habitis prima potissimum proponitur, quamquam ut id faceret etiam proptera adduci poterat, quod ea una oratio funebris a Pericle facta est.[1]) Neque etiam, ut sine dubio saepius et fortasse tunc quoque fiebat,[2]) mortem occisorum lamentantem et virtutes eorum praedicantem Periclem Thucydides facit, sed laudibus efferentem civitatis conditionem maximeque eam,

---

[1]) cfr. Poppo I, 1 p. 67.

[2]) Inspicias velim Aristotelis Rhetoricam I, 7; III, 10, quibus locis exigua funebris orationis pars citatur.

cuius ipse clarissimus auctor fuerat. Qua ratione scriptor assecutus est, ut antea edocti de belli vi ac civitatis robore etiam quibus animi et ingenii maximis virtutibus cives florerent, ineunte bello perspectum haberemus.

Anno sequenti multis et magnis calamitatibus Athenienses conflictabantur. Et iam legatos Spartam mittebant pacem petituros, cum Pericles ad populum progressus clarissima oratione rerum administrationem in aequum redigit (II, 60—64). Sequuntur in Thucydidis narratione res leves anno exeunte ab utrisque gestae (II, 65—70). Et postquam tertium belli annum coepit, ea, quae ad Plataeas gerebantur, scriptor enarrat.

Obsessio enim Plataearum, quae spatium biennii explebat et turpissima oppidanorum enecatione finiebatur, iure a Thucydide quasi in lucem historiae suae prolata est. Nam cum tota illa causa a Thebanis Lacedaemoniisque cum summa iniuria suscepta per se improbanda erat, tum maxime dolendum, urbem in celeberrimis Graeciae semper habitam in belli perniciem incidere. Alia iam oppida bello Peloponnesiaco expugnata erant, nulla tamen, quae tanta quanta Plataeae gloria uterentur adeoque ut parceretur sibi poscere possent. Quare hoc potissimum Plataeensium legatorum orationibus premitur.

Tota autem oppugnationis narratio tribus locis continetur, quorum primo describitur initium (II, 71—78), altero fuga ducentorum duodecim virorum (III, 20—24) tertio exitus (III, 52—68). Atque iure et initium et finis directis orationibus contemplationi nostrae propius admoventur; et cum primo loco turpitudo potissimum demonstretur, tertio summam iniuriam fieri explicatur.

Quod si quis quaerat, quanam de causa non omnes orationes, quae in capitibus 71—78 inveniuntur, directa forma a scriptore relatae sint, censendum videtur, varietatis causa id factum esse, cum id, quod directis orationibus appeteret, iam una duabusve assecutus esset. Quamquam fortasse etiam aliae causae haud absurdae afferri possunt.

Postquam (c. 79) expeditio Atheniensium adversus Chalcidenses infeliciter gesta explicata est, inde a c. 80 Thucydides de iis rebus disserit, quae ad fines Acarnanum gerebantur. Atque pugnarum navalium ad Rhium promunturium commissarum cum posterior sine dubio maior fuerit, scriptor orationes a ducibus unc habitis suo iure directo sermone profert, itaque considera-

tiones nostras ad pugnam magis convertit. Sequitur inde a. c 93 narratio earum rerum satis levium, quae aestate peracta eodem anno ab Atheniensibus eorumque hostibus factae sunt.

Venimus iam ad tertium librum, cuius prima parte paene tota de defectione Mytilenaeorum agitur. Atque primo obtutu totius rei tres summi loci apparent, quorum primus c. 8 continetur. Tum enim causa non est inter Athenienses tantum et Mytilenaeos sed iam ad universam Graeciam defertur. Alter inest in c. 29 duobusque sequentibus, quo quidem quadraginta duabus navibus Spartanorum Atheniensium res in magnum periculum vocantur; tertium est eventus. Quorum quisque locorum una duabusve orationibus directis ornatus est. Ac primo loco consentaneum est, a Mytilenaeis explicari causam suam ad omnes Graecos maximeque ad Lacedaemonios pertinere, altero (c. 30) Teutiaplus Eleus vir disserit, cum summa spe impetum in Athenienses fieri posse.

Tertio loco vix quaerat quispiam, qua de causa non eae orationes, quae priore Atheniensinm contione habitae sint (c. 36) sed eae, quae posteriore referantur. Plebiscitum enim quod hac fiebat, cum valida permaneret, magis extolli debebat; et quamquam etiam in priore concione Diodotus verba fecerat (III, 41) tamen magis ex iudicio Thucydidis erat, eo tempore quo vicit sententiam eius proferri. Denique ipsa res in altera contione ex altiore quodam loco tractabatur, ut directo sermone a scriptore usurpato magis consentanea esset. Nam cum priore die sine dubio de ipsa tantum re actum esset, sequenti occasio ferebat, ut magis in universum, quomodo res iudicandae et agendae essent, disputaretur. Ac singulari profecto modo hac oratione, quam unam Cleonem habentem fecit, popularem illum hominem oculis nostris proposuit scriptor. Eodem enim quo Pericles, summus eius antecessor, cothurno ingreditur, dumne comoediam agat! Nam quod in Periclis ingenio atque iudicio divinum quoddam apparebat, quod quidquid erat, ex summis locis considerabat et tanquam ad omnium rerum principium revocabat, id Cleon quoque persequitur, sed male ignorat, quantopere tragica quadam ironia ipse sibi illudat. Ex quo Thucydidis consilio ut Cleonem quasi imaginem Periclis deformem nobis proponat, interpretamur, quod Cleonis verba nonnunquam eorum quae Pericles dixit memoriam revocant; ut c. 37 l. III *ὅτι τυραννίδα ἔχετε τὴν ἀρχήν* conferendum est cum c. 63 l. II *ὡς τυραννίδα ἔχετε αὐτήν;* et c. 38 l. III

ἐγὼ μὲν οὖν ὁ αὐτός εἰμι cum c. 71 1, III ἐγὼ μὲν οὖν ὁ αὐτός εἰμι. Quae eadem ratio inter orationes a Cleone et a Diodoto habitas intercedere videtur, qua in utraque nonnulla sibi respondeant, ut τίνα οἴεσθε ἥντινα οὐ (III, 46) et τίνα οἴεσθε ὅντινα οὐ (III. 39, 7); πόλιν ἐφθαρμένην παραλαβεῖν καὶ τῆς προσόδου τὸ λοιπὸν ἀπ' αὐτῆς στερέσθαι (III. 46, 3) et πόλιν ἐφθαρμένην παραλαβόντες τῆς προσόδου τὸ λοιπὸν στερήσεσθαι (III. 39, 8). Atque id monstrare videtur, etiam Cleonis et Diodoti orationes ita quodammodo sibi opponi, ut certam utraque de rerum administratione sententiam explicet. Totum autem hoc responsionum genus id valere censemus, ut singuli homines clarius nobis proponantur.

Ut in ea quam tractamus libri tertii parte etiam de iis locis nonnulla afferamus, quibus scriptor aliorum sententias aut obliquo sermone aut ita refert, ut ipse, quid voluerint vel fecerint significet, clarum est, eas orationes ita tantum valere, ut sententias quae in rebus agendis vim habebant et rationes factorum depingant. Atque liceat iam hoc loco monere atque monstrare, in c. 27 ea verba quae in contione Mytilenaeorum fiebant, quamvis grave consilium ibi factum sit, tamen non directo sermone referri. Neque aliud obvenit, si capite 52 sequentibusque omissis de quibus supra dictum est, iam ad eam partem libri tertii aggredimur, qua de Corcyraeorum rebus agitur (III. 69—85). Omnes enim quae tunc in concionibus habebantur orationes obliquo sermone a scriptore nobis traditae sunt. (Quae res postea amplius tractabitur[1]).

Directa oratio deest in iis, quae inde a c. 86 proponuntur, cum leves tantum res contineant. Bellum autem quod Acarnanes cum Ambraciotis gerebant (c. 105—114), egregie ita distinguitur, ut certamine maximo facto ipsius praeconis verbis eiusque, qui ei respondebat, magnitudo cladis animis nostris repraesentetur. Sed iam videamus de quarto libro.

Eurymedon, Sophocles, Demosthenes praetores Atheniensium cum quadraginta navibus Siciliam versus navigantes dissentiunt inter se, cum Demosthenes Pylum muniri velit, illi recusent (c. 3). Tempestate tamen exorta illuc appulsi, postquam locum ad hostes vexandos maxime idoneum occupaverunt muroque muniverunt, Demosthenes cum quinque navibus remanet, ceteri in Siciliam

---

[1]) 1. p. 25 sq.

cursum tenent. Sed iam, ut hostes ex terra expellant, Lacedaemonii occurrunt et Pylum undique circumveniunt. Neque tamen Demosthenes consilio suo desistit. Nam cum persuasum habeat, Atheniensium plurimum interesse, ut in hostium terra statio aliqua teneatur neque ullam aptiorem esse quam Pylum, adventum hostium fortiter exspectans ante initum proelium militum animos maxime cohortatur (c. 10). Quare suo loco eam orationem directo sermone Thucydides refert. Mirum autem videatur, quod ex partibus Lacedaemoniorum Thucydides orationem non protulit. Quae res si ita explicata est, ut dicatur, apud Lacedaemonios orationem aut non habitam esse aut non dignam visam, quae ut a Thrasymelida ignobili duce habita memoriae traderetur, quaerat fortasse quispiam, qua de causa Brasidae verba (c. 11) non directo sermone afferantur. Sed cum ea verba in media pugna dicta sint neque pauca, ut videntur, abs re fortasse visum est in pugnae narrationem eiusmodi directam orationem inserere.

Lacedaemonii ab Atheniensibus devicti postquam indutias impetraverunt, legatis Athenas missis pacem petunt. Summum profecto momentum fuit, cum nullo alio tempore tanta Atheniensibus facultas esset belli cum gloria atque commodo componendi. Quod etiam Thucydidem sensisse et ut pax fieret maxime optavisse ex c. 21 apparet. Quare eo loco ipsos legatos loquentes audimus et ita potissimum, ut dicant tunc maxime pacem facile et cum utriusque civitatis commodo fieri posse, cum neutra iam iacturas irreparabiles acceperit. Cleonis oratio ceteraque verba quae afferebantur, cum de rebus tantum essent, obliquo sermone reddita sunt, neque alia est ratio eorum, quae (c. 27. 28) in concione Atheniensium a Cleone et Nicia dicebantur. Qui denique turpissimus et Lacedaemoniis infelicissimus exitus rerum ad Pylum gestarum directa allocutione viri Lacedaemonii animis nostris proxime admoveatur, supra iam demonstratum est.

Supersedemus ea perlustrare, quae sequentibus capitibus enarrantur, cum facta quodammodo levia sint neque Thucydides directas orationes adhibuerit. Sed postquam scriptor capite duodesexagesimo disseruit, Siculos Gelam convenisse, ut pacem inter se conciliarent, Hermocratem Syracusanum inde a c. 59 loquentem facit. Quod initio mirum videtur. Quamquam enim iam saepius res Siciliae a scriptore commemoratae sunt (III. 86; 88; 103; 115; IV. 1; 24; 25), tamen ad res Graecas nondum tantum valuerunt, ut oratio directa a Thucydide usurpata hoc loco in eas quas supra

constituimus leges cadere videatur. Attamen id fortasse scriptori maxime memorabile videbatur, quod condicio bellica, qua multos annos Sicilia vexata erat, quaeque nonnullis locis etiam ad res Graecas pertinuerat, tunc omnium consensu sublata est.

Altera porro causa nobis quidem etiam clarior est. Notum enim est, Ullrichium virum excellentissimum quaestionibus de nomine et origine Thucydidei operis institutis[1]) perspectum reddidisse, Thucydidem historiam suam non uno cursu composuisse, sed, postquam pace Niciae facta scribere coepisset, bello denuo exorto opus usque ad c. 48 libri quarti perductum praecidisse; totoque demum bello confecto ad interruptum studium rediisse. Et quamquam adversus nonnulla eorum, quibus ea sententia fulcitur, quaedam prolata sunt, quae vim eorum debilitent, tamen, si totam argumentationem una contemplamur atque etiam consideramus, multa, quae nunc aut explicari non possunt aut lubricam et contortam interpretandi rationem exposcunt, Ullrichii sententia recepta plana et aperta fieri, facere non possumus, quin Ullrichii de origine Thucydidei operis iudicium comprobemus. Postquam igitur a c. 48 libri quarti rem institutam Thucydides porro tractare coepit, omne bellum cognovit maximeque ei obversatur, quanto discrimini Sicilienses res Atheniensibus fuerint. Quid? ea re nonne maxime moveri poterat scriptor, ut eo tempore, quo pace inita ex hominum ratione Sicilienses res tranquillae futurae essent, Hermocratis oratione nos iam praesagientes redderet fore, ut Siciliae incolae ad Atheniensium res plurimum valerent? Atque etiam quo tempore iam summum fortunae fastigium Athenienses assecuti sunt, nubem quasi orientem videmus, quae nunc quidem levis et contemnenda, mox autem timenda et perniciosa futura sit. Qua de causa id potissimum ab Hermocrate praedicatur, summum imminere periculum ab Atheniensibus. — Quae c. 66 sequentibusque de rebus ad Megaram, Antandrum, in Boetia gestis enarrantur, omittere possumus, cum ad totum bellum parvo momento fuerint. Sed iam quid Brasidas in Thessalia et Macedonia egerit, videamus.

Brasidas Lacedaemoniorum diligentissimus atque ingeniosissimus dux ut socios ab Atheniensibus avocet, postquam per Thessaliam profectus in Macedoniam pervenit, cum Perdicca rege et civitatibus Chalcidicis societatem init (c. 78. 79). Explicat deinde Thucydides quibus causis adducti Lacedaemonii exercitum ad oram

---

[1]) in praelusionibus Johannei Hamburgensis 1845 sq.

Thraciae miserint, et cur Brasidas eius rei praestantissimus dux fuerit (80. 81). Atque hic quidem videmus, id quod etiam aliis locis cerni potest, non orationibus modo Thucydidem nobis depingere, quae rerum causae hominumque naturae fuerint. Ac ne quis scriptorem reprehendat, quod illae agendi causae melius oratione ad milites fortasse habita expositae sint, supra demonstratum est, orationibus directis hominum cogitata ita a Thucydide proferri, ut ad universum et ad maiorem res considerandi locum spectent. Milites autem de summo alicuius pugnae momento iure instrui possunt, nec tamen de consiliis rei publicae rationibusque agendi. Atque in hoc fortasse idem nobis occurrat, quod etiam in orationibus directis perspicimus, quodque ad nostram de iis sententiam comprobandam nonnihil afferre videatur. Nam sicut hoc loco, ut de fine et gravitate rei a Brasida susceptae nos edoceat, non ante rem inchoatam sed in ipsis rebus demum scriptor disserit, quae rationes illius expeditionis fuerint, ita etiam directae orationes, quoad fieri potest, quo magis animos nostros incitent, non initio uniuscuiusque negotii proferuntur sed in ipso rerum momento.

Brasidas postquam ab Acanthiis urbis intrandae veniam impetravit, oratione apud populum habita explicat, quem ad finem a Lacedaemoniis cum exercitu in Thraciam missus sit: non ut Lacedaemoniis subiiceret urbes sed ut a dominatione Atheniensium liberaret. Acanthii Brasidam urbe recipiunt. Clarissimum igitur initium eius rationis, quae ut ex c. 80 apparet Atheniensibus plurimum nocitura erat, factum est; mox aliae urbes sequuntur ut Amphipolis (108) Torone (114) Scione (120), quibus Brasidas eadem fere dicit quae Acanthiis. Una autem oratio ad Acanthios habita directa allocutione a Thucydide prolata est, ceterae obliqua.[1]) Atque id quidem iure. Prima enim Thraciae alicuius urbis defectio maxime memorabilis videbatur; et cum eo loco Thucydides nobis Brasidam proponit, etiam in ceteris occasionibus orationes eius animis nostris repraesentare possumus. Unde cognosci potest, non iis ipsis verbis quae dicta sunt Thucydidem adductum esse ut orationes directas formaret, cum si hoc recte existimare-

[1]) Hunc locum respiciens Heimannus in dissertatione de orationibus Thucydidis scripta (Berlin, 1833) p. 40. collegisse videtur, eas orationes a Thucydide obliquo sermone referri, quorum argumentum iam antea directa oratione expositum sit. Eam tamen sententiam in multas orationes obliquas non cadere facile apparet.

mus, etiam orationes ad Amphipolitas, Toronaeos, Scionaeos habitas directo sermone reddere debuisset, sed ea ratione, ut summas quasque res directis verbis maxime extolleret.

Jam c. 89 ad eas res enarrandas scriptor se convertit, quae in Boeotia gestae sunt. Quarum cum summa fuerit pugna ad Delium commissa cohortationes recto sermone produntur, quae a ducibus Boeotorum et Atheniensium ante initum certamen paene pari modo paribusque verbis ad milites factae sunt; ea autem mandata, quae confecta re a praeconibus utrimque missis relata sunt, cum ad ipsa facta enarranda magis pertineant, obliquis verbis a Thucydide conscripta sunt.

Ut iam ea quae in libro quarto de rebus a Brasida gestis memoriae tradita sunt, ad finem tractemus, incipere debemus ex c. 122. In quo capite ea, quae ab Aristonymo et a Brasida et in urbe Athenis dicta sunt, summo iure obliquis verbis significari nemo iam nescit. Paulo post, cum auxilia Illyrica, quae a Brasida et Perdicca exspectantur, ad Arrhibaeum regem transierint atque etiam Macedones socii turpissimae fugae se dederint, Brasidae res in summum discrimen vocantur. Atque tunc oratio a Brasida habita directo sermone traditur. Non enim de salute desperat, sed postquam sese recipere constituit, exercitu summa arte instructo milites cohortatur, ne hostes timeant, qui speciem tantum fortitudinis praebeant, sed ut patrii instituti recordentur, ex quo pauci multis imperent. Neque rem audacter susceptam felix eventus defecit.

Postquam libro quarto exeunte leves quaedam res proditae sunt, initio libri quinti pugna summi momenti enarratur. Ea enim clades et satis magna fuit et plurimum attulit, ut populus ad pacem inclinaret. Quare ante pugnam ad Amphipolim inter Brasidam et Cleonem commissam Lacedaemoniorum ducem Thucydides milites cohortantem et de proelio instruentem facit.

Et tum quoque, cum iam pugnari incipitur, ipsa Brasidae verba proferuntur (c. 10). Quod si quis miretur, non etiam Cleonis orationem traditam esse, cum perspicuum sit, etiam Cleonem ante pugnam verba fecisse, id ita recte explicare videmur, ut dicamus, Thucydidem Cleonem adeo contempsisse,[1] ut eius verba non modo directa allocutione praeferre sed ne obliquo quidem sermone significare vellet.

---

[1]) Inspicias velim c. 7 l. VII; c. 28 l. IV; c. 39 l. IV.

Erret, ut videtur, etiam is, qui censeat, pacem quae paucis mensibus post pugnam ad Amphipolim commissam facta sit, directis orationibus extolli debuisse. Hoc enim modo scriptor animos nostros incitat, ut orationes nobis proponantur, quibus ii, qui tunc vivebant, ad agendum incitabantur. Studebant autem Athenienses et Lacedaemonii totaque fere Graecia paci non ideo, quod concionibus alliciebantur, sed quia ipsos aerumnarum maxime taedebat. Quare is narrandi modus rei aptissimus est, quo explicatur, quibus rationibus civitates adductae sint ut pacem inirent, quod capitibus 14 tribusque sequentibus scriptor optime consecutus est. Postquam autem pax iam facta est, quo magis maximum momentum in considerationem atque scientiam nostram veniret, suo iure Thucydides tabulas de pace et de societate Atheniensium et Lacedaemoniorum conscriptos ipsis verbis retulit.

Venimus iam ad alteram Thucydidei operis magnam partem, quae incipit ex c. 25 libri V.[1]) Atque si narrationem earum

[1]) Quod ea pars libri quinti qua tempus εἰρήνης ut dicitur ὑπούλου continetur, nonnullis ex partibus aliam speciem atque ceterae totius operis praebet, Classenius ad originem eius partis revocavit. Dicit enim (Thukydides, 5. Band S. 3 fg.) haec: Ich halte dafür, dass bei dieser abschliessenden Redaction zuerst die meisterhafte Einleitung abgefasst ist; dass sodann die Geschichte des zehnjährigen Krieges und der sicilischen Expedition ihre letzte Bearbeitung empfangen haben, und dass nach diesen zunächst die Zwischenperiode der εἰρήνη ὕπουλος zur Darstellung gelangte. Quod tempus εἰρήνης ὑπούλου incipit Classenius ex capite 14.

Cogitandum igitur est, Thucydidem primum ea quae libris I. II. III. IV. VI. VII. continentur ingenio et industria elaborasse et deinde ad ea enarranda aggressum esse, quae inveniuntur fere libro V, antea autem, si quidem illud ‚zur Darstellung gelangte' recte interpretamur, ut rudis indigestaque moles in commentariis auctoris iacebant et Thucydideo ingenio paene omnino vacabant. — Attamen si Thucydides bellum viginti septem annorum unum esse existimavit, intelligi non potest, cur tempus suppuratae pacis extra ordinem tractaverit.

Et si Classenii sententiam sequimur, cum libri VI et VII iam excolebantur, capita 25 et 26 libri V nondum conscripta erant, quamquam iis demum explicatur, quo iure is scriptor, qui bellum Atheniensium et Peloponnesiorum narraturus sit, etiam res ab Atheniensibus in Sicilia gestas memoriae tradiderit. Sed etiamsi hoc omittamus, tamen offendimus, quod in c. 1 libri VI verbis τοῦ δ' αὐτοῦ χειμῶνος respicitur ad verba capitis 106 libri V: τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος, quae verba tunc cum illa scribebantur, in chartam nondum coniecta erant. Nam id profecto nemo negare

rerum, quae bello decem annorum confecto per sex annos et decem menses in Graecia gerebantur, contemplamur, quamquam nescio an nullo totius belli tempore tot orationes habitae sint,[1]) directas tamen orationes, si quidem causas Meliorum excipimus, omnino deesse apparet. Cuius rei causam ita explicare cogimur, ut dicamus, ipsas res Thucydidi non aptas visas esse, in quibus enarrandis directas orationes insereret; nam cum prioribus operis libris duobusque sequentibus res vel bello gestae vel ad bellum suscipiendum gerendumve pertinentes describantur, ea parte libri quinti cuius fines capitibus 27 et 116 signantur, actiones atque discordiae civitatum exponuntur, quae per legatos potissimum tractabantur. Quamquam enim certamina quoque fiebant, ea tamen magis ex iis, quae pactionibus et per legatos agebantur (cum aliae alias civitates sua sponte non obtemperantes vi armorum ad sua consilia cogerent), quam ex certo bellandi consilio prodibant.

Atque praebent maximae inconstantiae speciem res quae aguntur, neque quidquam fieri videmus, quod non paulo post interiturum sit. Neque etiam Thucydides ignoravit, quanto id tempus de quo agimus a priore et a sequenti discrepaverit, qui c. 26 explicet quidem id tempus in annos belli numerandum esse, sed appellet *ὕποπτον ἀνοκωχήν* et narraturus sit, *τὴν μετὰ τὰ δέκα ἔτη διαφοράντε καὶ σύγχυσιν τῶν σπονδῶν* et deinde demum *,τὰ ἔπειτα ὡς ἐπολεμήθη.'*

---

potest, si Thucydides tempus suppuratae pacis post septimum librum enarravit, eam partem usque ad finem libri quinti neque fortasse tantum ad caput 58 pertinere, cum ex primo libri VI capite novam historiae partem incipere facile appareat.

Magnam de Classenii sententia dubitationem excitant etiam actiones Atheniensium et Meliorum, quae summa diligentia animis nostris propositae sint. Nam si Thucydides in animo habuisset librum quintum sicut reliquos magis excolere, elaborationem orationum in aliud tempus distulisset. Et quamquam Classenius de tali Thucydidis consilio sententiam suam non satis explicuit, tamen nonnulla affert, quibus ostendatur, argumentum non admodum elaboratum esse sed paene sine ulla mutatione ex commentariis in hanc historiae narrationem translatum (p. V). In quod leve dicendi genus orationes illae Atheniensium et Meliorum diligentissime excultae minime cadere possunt.

Quae cum ita sint, Classenii de libro V iudicium improbandum videtur, et cum negari non possit, librum quintum a reliquis discrepare, id discrimen ad argumentum, quod magna ex parte ab aliis libris diversum est, revocandum.

[1]) cfr. l. V, c. 39 § 2.

Quod si reputamus, mirari non possumus, Thucydidem in iis rebus exponendis directarum orationum subsidio abstinuisse, quo summa rerum bellicarum vel ad bellum pertinentium momenta extollere soleret.

Et si tamen quis exspectet orationes ante pugnam Mantineensem a ducibus habitas directo sermone proponi, cum ei pugnae sine dubio illo temporis spatio plurimum attribuendum sit, considerandum est, Thucydidi tres orationes afferendas fuisse, cum et Mantineensium et Argivorum et Atheniensium animi singulis quique cohortationibus excitati essent. Atque etiam cum ex Lacedaemoniorum parte oratio apud milites habita non esset [1]) totus locus parum concinnam speciem dicendi praebuisset. Neque tamen, ut facile cernitur, scriptor praetermisit, quin animos nostros singulari modo ad pugnam Mantineensem converteret Quo enim aliud spectat, quod explicatur, qui fuerit ordo ac disciplina exercitus Lacedaemoniorum, quaque ratione numerus militum inveniri possit? quod exponitur ubi quisque exercituum constiterit, et qua ratione duces milites cohortati sint?

Singulari modo etiam haec res extollitur, quae ut iis temporibus satis memorabilis videbatur. Priusquam enim c. 46 foedus ab Atheniensibus, Argivis, reliquis civitatibus initum est, natura atque consilia Alcibiadis, qui maxime ei rei studebat, diligenter describuntur (c. 43—45). — Itaque quamquam eae res, quae a pace Niciae usque ad bellum Siciliense gerebantur, semper fluctuabant, duas tamen non quidem directis orationibus sed alio et efficaci modo magis in considerationem Thucydides protulit.

Priusquam autem ad res Sicilienses enarrandas accedat scriptor, cum ea quae Athenienses de Meliis decreverant maxime memorabilia visa vint, a c. 85 usque ad c. 113 ipsas Atheniensium et Meliorum legatorum orationes nobis proponit. Fiebat autem actio in consilio Meliorum; poscebant Athenienses, ut Melii, qui ad id tempus sui iuris fuerant, in ipsorum potestatem venirent. Et cum Thucydides Altheniensium et Meliorum orationes alternas perscribit, monstrat, quas rationes in rebus iudicandis et admi-

---

[1]) cfr. V, 69, 2. *Λακεδαιμόνιοι δὲ καθ' ἑκάστουςτε καὶ μετὰ τῶν πολεμικῶν νόμων ἐν σφίσιν αὐτ'οῖς ὧν ἠπίσταντο τὴν παρακέλευσιν τῆς μνήμης ἀγαθοῖς οὖσιν ἐποιοῦντο, εἰδότες ἔργων ἐκ πολλοῦ μελέτην· πλείω σώζουσαν ἢ λόγων δι' ὀλίγου καλῶς ῥηθεῖσαν παραίνεσιν.*

nistrandis Athenienses tunc secuti sint, qui existimarent, nihil iustum esse, nisi quod potentioribus prodesset neque quidquam potentiores agere decere, nisi ut facultatibus suis minoribus imperarent.

Sed haec quidem hactenus; iam ad res in Sicilia gestas perlustrandas accedamus.

Atque in toto bello Siciliensi tria summa momenta animadvertimus, quorum primo initium primaeque in concionibus actiones, altero cursus belli, tertio exitus continentur. Quarum quaeque partium directis orationibus ad considerationem magis extollitur.

Ut ex ordine enarremus, quae legati Egestaei ab Atheniensibus auxilium petentes de salute ac commodo Atheniensium dixerunt, obliquo sermone Thucydides refert, cum hoc loco id potissimum intersit, ut Athenienses cum multis pollicitationibus auxilio vocatos esse narretur, et paulo post sub ipsum bellum incipiendum de iisdem fere virum longe nobilissimum scriptor loquentem facturus sit. Postquam enim Athenienses classem sexaginta navium in Siciliam mitti sine magna, ut videntur, dubitatione decreverunt, quinque diebus post concione indicta Nicias et Alcibiades in utramque partem de re suscipienda verba faciunt. Ac primum quidem Nicias monet, ne novum bellum ineatur priore nondum confecto neve duas potentissimas civitates uno tempore inimicas sibi reddant; deinde autem cum Athenienses Alcibiadis verbis, qui ad bellum maxime cohortaretur, vehementer commotos esse videat, ut magnitudine rei animos deterreat, disertissimis verbis explicat, quantae opes ad bellum necessariae sint.

Postquam igitur altera Niciae oratione significatum est quid res de qua agitur ad civitatem eiusque incolumitatem valeat, altera quae magnitudo belli futura sit animis nostris proponitur. Cuius rei simile iam in capitibus prioribus (I. 68—86 et 120—124) occurrebat. —

Attamen oratio Niciae admodum praeter opinionem evenit. Nam cum populus multo magis bellum gerere cuperet, ab uno ex multitudine interrogatus, quaenam ad expeditionem opus esse existimaret, singulas res recensens, quae ad bellum praeparanda essent diligenter exposuit. Quod quidem obliquo sermone Thucydides profert neque alia de causa, quam quae iam ad caput 13 libri II commemorata est.

Et sicut primo initio belli Peloponnesiaci Thucydides non satis habuit, quid Peloponnesii de eo cogitassent nobis proponere,

sed etiam Atheniensium voluntates ac studia in lucem dedit (cfr. l. I. c. 140—144), ita etiam Siciliensi bello exoriente, quid Syracusani iudicaverint, directis orationibus profert. Atque videmus etiam Syracusanos sicut ceteras Siciliae urbes in duas partes discedere, quarum altera alteri obtrectet; unum autem praestantissimum virum esse Hermocratem, qui metum nobis excitet, ne Atheniensibus maxime nociturus sit.

Classe Atheniensium ad Rhegium appulsa Nicias, Alcibiades, Lamachus praetores de re gerenda consilium habent (c. 47—49); et consentaneum videtur, ea quae tunc dicebantur ut in secreto conventu non directis verbis tanquam palam praedicari. Ubi autem primum Athenienses cum Syracusanis armis confligunt, et primo eo proelio commisso utraque civitas intellexit ad res bene gerendas maioribus subsidiis opus esse (cfr. VI. 71, 2), tunc res quae aguntur directis orationibus magis distinguuntur. Nam et ante pugnam commissam Niciam milites cohortantem audimus et ea quae legati Athenienses apud Camarinaeos dixerunt, directo sermone a Thucydide referuntur. Quamquam enim Athenienses ex proelio adversus Syracusanos facto superiores discesserant, tamen sese Syracusis potituros esse desperaverunt, nisi alias Siciliae urbes socias sibi conciliassent. Quare multae civitates, quas Athenienses per legatos adhortabantur, ut ab ipsorum partibus starent (cfr. VI. 88, 3—6), in magnum discrimen ac dissensionem adducebantur, cum quaestio iis existeret, utrum Atheniensibus opitularentur, quos Siciliam sibi subacturos esse viderent, an Syracusanis, qui iam diu in reliquos Siculos dominari studerent.

Quae summa controversia, qua tota paene Sicilia agitabatur, orationibus, quas legati ab Atheniensibus et a Syracusanis missi Camarinae habuerunt, clarissime demonstratur, cum Syracusani quid ab Atheniensibus, Athenienses quid ab Syracusanis timendum sit, Camarinaeis proponant (76—88).

Atque etiam Syracusani, ut socios sibi parent, operam dantes legatos Corinthum et Lacedaemonem mittunt petituros, ut omnibus modis adiuventur. Atque concio post Syracusanorum legatorum adventum Spartae iis de rebus habita in totum bellum maximo momento fuit. Tunc enim Lacedaemonii Deceleam munire consilium ceperunt et constituerunt Gylippum ad Syracusanos mitti. Et cum Alcibiades omnium maxime effecerit, ut Lacedaemonii res Syracusanorum capesserent, suo iure eius orationem de ea re habitam Thucydides memoriae tradidit.

Quibus rebus postquam perspeximus quibus et qualibus subsidiis muniti et Athenienses et Lacedaemonii bellum gesturi sint, Thucydides admodum laudandus esse videtur, quod cursum rerum enarrandarum directis orationibus non iam interrupit. Quamquam enim res gravissimae accidunt, tamen quia omnia semper quasi moventur neque animos remittere possumus, considerationes nostrae in res satis intentae sunt. Postquam autem plurimis pugnis et laboribus ab utroque hoste per duos annos exantlatis res iam ad exitum perducta est, gravissimis orationibus animi nostri maxime commoventur. In quo summam Thucydides artem atque ingenium admirari possumus. Priusquam enim ad ipsum discrimen depingendum aggrediatur, gentes, quae Atheniensibus et Spartanis auxilio venerant, enumerat. Et postquam hoc modo magnitudo rei luculentissime nobis proposita est, Niciae oratio ad exercitum ante pugnam initam habita profertur, qua perspicimus nullam iam maximo exercitui salutem esse nisi in armis, brevique temporis spatio de clarissimo Atheniensium conatu actum iri. Nec minus Gylippi oratio idonea est, quae eiusmodi cogitationes in nobis excitet.

Actum est; militesque aegrotis atque infirmis sodalibus relictis terra discedere parant nescientes, ubi ab omnibus amicis deserti salutem assecuturi sint, cum Nicias, ut ne tunc quidem desperent, milites cohortatur (c. 77). Quae oratio directa libri septimi postrema est.

Quod si ea, quae adhuc disseruimus, animo complectimur, id primum apparet, quod supra contendimus, Thucydidem orationes directas ita usurpasse, ut summa rerum momenta magis distingueret; neque tamen variis dicendi generibus tam destitutum fuisse, ut non, si natura rei postularet, etiam aliis modis propositum assequeretur.

Deinde autem etiam nonnulla fortasse invenimus, quae ad vim directarum orationum recte existimandam multum afferre videantur.

Primum enim quamvis multa in bello Peloponnesiaco mandata per praecones relata sint, atque etiam Thucydides eos muneribus functos esse multis locis commemoret, nulla tamen oratio a caduceatore habita directo sermone affertur.[1]) Atque id quidem

---

[1]) Cui rei quae II, 12 et III, 113 inveniuntur non repugnant, cum in eas non cadat quod de natura orationum a caduceatoribus habitarum diximus.

iure, cum caduceatores ea tantum, quae a civibus mandata sunt, referant neque ipsi liberiore modo suam rerum sententiam proferre possint.

Qua in re quamquam iam bene sensisse Thucydidem videmus, tamen etiam magis laudandus est, quod nullas orationes nisi palam habitas directa forma referendas esse cognovit. Nam ne dicam directa oratione vehementius nos moveri, si eam ad multos habitam esse cogitamus; cum directis orationibus scriptor id agat, ut legentes ipsa hominum verba audire nobis videamur, species admodum dissimilis veri praeberetur, si ipsa ea verba, quae secretis consiliis facta sunt, proponere conaretur. Quare quae cum aliis locis tum capitibus 47 - 49 libri VI et iisdem capitibus libri VII praetores in consiliis disputaverunt, obliquo sermone a Thucydide relata sunt.

Tertium occurrit Thucydidem, quamquam in universo bello enarrando ne domesticas quidem civitatum res praetermittat, tamen orationem talibus in rebus habitam directo sermone nullam afferre. Et tamen nonnullae factae sunt, quae longiore explicatione satis dignae videantur. Nam ut librum quintum omittamus, qui fere totus eius rei validissimum testimonium est, quae capite 27 et sequenti libri III apud Mytilenaeos dicta, quaeque consilia capta sunt, ad civitatis formam maximo momento fuerunt. Atque quamquam Corcyraeorum res pluribus locis Thucydides narrando occupat, nunquam tamen oratio directa affertur. Quaestio porro de Hermis abscisis instituta, quamvis magnam calamitatem civitati attulerit, cum Alabiades unus fuerit, qui ea, quae ipse maxime molitus erat, in Sicilia ad felicem exitum perducere posset, a Thucydide tribus quidem locis satis accurate tractatur,[1]) oratione tamen directa non exornatur.

Atque etiam hoc consideremus: Postquam capite 70 libri VI Syracusanos ab Atheniensibus fusos esse narratum est, capite 72 concio populi Syracusis habetur in qua Hermocrates de clade accepta animos consolatur, a debilitatione avocat, de rebus administrandis sententiam profert. Et cum magnum praetorum numerum rei bene gerendae obesse censeat, populo persuadet, ut tres duces eligantur. Huius igitur orationis eventus quidem ad bellum Siciliense multum valuit, ipsa tamen oratio a Thucydide propterea obliquo sermone enarratur, quod, sicut etiam ex aliis et ex iis quos attulimus locis apparet, propositum ei

[1]) VI, 27—29; 53; 60. 61.

fuit eas tantum orationes directa forma explicare, quae ad ipsum bellum vel suscipiendum vel persequendum spectarent.

Cuius rei causa non dubium est, quin ea sit, quod Thucydides historiam non viginti et septem annorum illorum sed belli Peloponnesiaci describere in animo habuerit.[1]) Quamvis enim perspectum habeat, res domesticas civitatum ad bellicas plurimum valere atque id rectum iudicium eo demonstret, quod ad illas satis accurate depingendas haud raro descendit, tamen apparet, primo loco ipsum bellum enarrandum fuisse ei propositum. Quod ipsis eis verbis elucet, quae in initio totius operis posuit: *ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους*, quae fere eadem per totum librum persaepe repetuntur. Neque alia est causa, quod in historia sua annum in duas partes divisit, quarum altera ad bellum gerendum apta, altera non apta sit. Thucydidem porro verbum *πόλεμον* non ita intelligere, ut sit ‚tempus belli' in c. 27 libri VIII cernimus, quo loco bellum contrarium ponat internis discordiis. Denique, id quod plurimum valet, quamquam ea sententia, quae nuper prolata est,[2]) Thucydidem domesticas civitatum res consulto silentio praeteriisse, ut falsam ac depravatam imaginem rerum praeberet, maxime improbanda videtur, id tamen verum est, de internis civitatum rebus nos a Thucydide non semper ita doceri ut ad historiam melius iudicandam cupiamus. Cuius rei ut exemplum afferamus, optet quispiam, ut Thucydides de invidia Periclis c. 59 libri II uberius explicuerit; neque quisquam negare potest, parum nos instrui, quae potestas Periclis postea in civitate fuerit, quibus de causis multatus sit, quis extremis eius diebus summam rerum administraverit. Periclem enim sub finem vitae gubernaculum civitatis non iam tenuisse, inde perspicuum fit, quod expeditio viginti navium Cretam suscepta (quae naves Phormioni praetori auxilio venire debebant[3]) ei belli gerendi rationi, quam ipse (I, 144) exposuerat, minime consentanea est. Atque etiam in libro quinto planiores explicationes de rebus domesticis nonnumquam aliquis

---

[1]) Quod etiam Dionysius perspexit, qui Thucydidem vituperat, quod *πόλεμον ἕνα καί τινας ἀπνευστὶ διεξέρχεται μάχας ἐπὶ μάχαις καὶ παρασκευὰς ἐπὶ παρασκευαῖς καὶ λόγους ἐπὶ λόγοις συντιθείς*: Epistola ad c. Pomp. III, 12.

[2]) Müller-Strübing: Aristophanes und die histor. Kritik. p. 199. 396. 495. 735 a. l.

[3]) cfr. l. II, c. 85. 86. 92.

requirat. Quod tamen non ita explicari debet, ut ad quandam Thucydidis malignitatem revocetur, sed ita, ut nobis persuadeamus scriptorem nostrum non primarium suum existimasse res internas civitatum per se ipsas enarrare.

Sequitur ut eas dicendi leges, quas in prioribus septem libris Thucydidei operis perspeximus, secuti, octavum librum perlustremus. In quo facile cernitur maximas res enarrari, quibus ipse quoque scriptor summum momentum attribuerit. Sed tamen orationes directae paene nullae inveniuntur, idque duabus de causis, ut videtur, quarum altera iam significata, altera paene explicata est.

Apparebat enim in opere suo componendo id potissimum Thucydidem respexisse, ut ipsas res bellicas accuratissime exponeret. Sed cum non satis haberet res quae actae erant referre, sed etiam pro suo quamque momento magis minusve extollere, rebus bellicis plus lucis, ut ita dicam afferri debuit quam civilibus. Cuius lucis multum vel maximum afferunt orationes directae; quo fit, ut iis locis desint, quos minus exornari Thucydides voluerit, scilicet in rebus domesticis disputandis. Continetur autem liber octavus ex maiore parte tali argumento ad internas Atheniensium res spectanti; quod quamquam per se satis memorabile est, tamen, si totum bellum respicimus, una tantum res maxima videtur esse: Athenienses civilibus discordiis maximum detrimentum sibi inferunt, Alcibiadem ingeniosissimum ducem in patriam revocant. Atque haec summa rei ad bellum valens directa oratione extollitur idque eo loco, quo aptior inveniri nullus potest. Nam quod aliis locis reperimus, res quae aguntur tum demum directis orationibus exornari, cum ex latebris alicuius civitatis in lucem totius Graeciae prolatae sunt,[1]) id etiam in octavo libro cognoscere possumus. Postquam enim dissensionibus in insula Samo exortis Pisander cum ceteris legatis Athenas pervenit, cum cives novae rerum conditioni haud ita faveant neque tamen, unde salutem sperent, dicere possint, Pisander apertis verbis proponit, nullam esse salutis spem nisi civitate moderatius constituta et Alcibiade in patriam revocato (VIII, 53). Qua voce quomodo tota res ad bellum spectet satis explicatum est. Ipsum autem certamen civile directis orationibus exornare Thucydides non debebat.

Altera est causa, quod in octavo libro multo alia ratio intercedit inter plurimas obliquas orationes et res quae aguntur quam

[1]) I, 32 sq. III, 8.

in prioribus libris inter directas orationes et res, unde efficitur obliquas orationes libri octavi in directas mutari non debuisse. Nam in prioribus septem libris orationes directae aut non agunt, ut homines ad certa consilia et res adducantur, aut si agunt, tamen consilia et res magis ex rerum ratione et natura exoriuntur, cum orationes eam tantum demonstrent. Ut exemplum afferamus, Athenienses non propterea bellum contra Peloponnesios decreverunt, quod Pericles in eam sententiam verba fecerat, sed quia ipsae res bellum poscere videbantur. Pericles autem necessitatem illam optime declaravit. — Alia est res in libro octavo, in quo saepius homines nulla alia re nisi ipsis orationibus ad agendum incitentur. Quis enim putet, milites in insula Samo et Athenienses rebus adductos esse, ut civitatem mutarent neque potius ipsis orationibus factiosorum hominum? Quid? quod adeo non rerum rationibus impulsi sunt, ut interdum vanis pollicitationibus confisi novas res molirentur. — Quare in libro octavo orationes non ornatus ad res enarrandas accedens appellari possunt, quo res nobis magis repraesententur sicut in prioribus libris, sed ex maiore quidem parte ipsae tanquam res sunt et causae aliarum rerum fiunt. Maxime igitur scriptor laudandus est, quod eodem eas dicendi genere ac tenore, quo alias res proposuit. Sed cum hoc fortasse aliquis non concedat, paulo uberius disserendum est.

Si directas orationes priorum librorum consideramus, apparet ab iis orationibus, quae re vera habitae sunt, si non proprio argumento, at forma tamen et altiore iudicio admodum eas discrepare. In quo quam rationem scriptor secutus sit, supra dictum est. In libro octavo tamen, ne falsus existeret, illud Thucydides compluribus locis nullo modo facere debebat, cum saepius plurimum interesset, ut hominum sententiae ac verba quam accuratissime nuntiarentur. Nihil igitur scriptori restabat, si directa oratione uti volebat, nisi ut verba eorum qui locuti erant, quam diligentissime poterat, ipsa afferret. Quod si fecisset, apparet librum octavum talem fere speciem praebiturum esse, qualem priores libros Xenophontis Hellenicorum; nemo autem contendat, hunc directarum orationum usum admodum probandum esse, ne dicam, si Thucydides illud fecisset, nos in opere eius duo directarum orationum genera natura diversa inventuros esse.

Quod si quaerat quispiam, qua ratione his duabus causis, quae satis diversae videantur, Thucydides ad id unum adductus sit, ut in libro octavo orationibus directis abstineret, primum scriptor in

animum induxit res, quas tractabat, directis orationibus magis extollere. Quod non minus in octavo libro facere poterat, ea tamen conditione ut a consueto more res in directis orationibus iudicandi abscederet et modo vera argumenta orationum suis quidem sed directis verbis referret. Neque tamen ea facultate usus est, neque etiam ut videtur deliberavit, num ea uteretur, cum res domesticae non satis dignae viderentur, quae in bello Peloponnesiaco enarrando directis orationibus exornarentur.

Ex iis igitur, quas attulimus duabus rationibus in maiore libri octavi parte factum esse iudicamus, ut Thucydides a directis orationibus abstineret. Sed etiamsi has omittamus, tamen singulas res recensentibus nobis plurimis locis partim verisimile partim manifestissimum fit, etiam aliis de causis Thucydidem directas orationes adhibere non debuisse. Quare ad totam nostram quaestionem nonnihil valiturum videtur, si has quoque perlustraverimus.

Nam id profecto nemo negare potest, Thucydidem eas tantum orationes directo sermone proferre potuisse, quae in publico habitae sunt, cum ipsa dicendi forma ad publicum spectet. Nam ut idem hic repetamus, quod supra iam diximus, quae orationes in secreto habitae sunt, propterea in secreto habebantur, ne a pluribus neve a quovis audirentur. Quod si scriptor orationes directas adhibet, id recta ratione nulla alia facere potest, nisi ut attentionem omnium, qui legunt, maxime intendat.

Et si nos ad audiendum tanquam invitamur, fieri non potest quin cogitemus, etiam eorum hominum, qui tunc vivebant, cuivis orationem audire licuisse. Multae autem libri octavi orationes non publice sed in clandestinis consiliis habitae sunt, nonnullae etiam ne potuerunt quidem publice haberi, ne is qui dicebat in crimen violatarum legum incurreret. Quis enim putet initio rei de civitate dissolvenda libere Athenis verba facta esse, cum c. 67 demum enarretur, legem quae γραφῇ παρανόμων servabatur sublatam esse? Quod si Thucydides directa orationum forma cogitationem movisset, eum qui dicebat ab omnibus audiri, nonne iure miraremur oratorem perduellionis reum non fieri? Quare putandum est in concionibus multo magis communes voces de rebus administrandis prolatos esse, quam ut certae sententiae propositae ac disputatae sint. Illae autem, cum nullis fere argumentis essent, directis orationibus enarrari neque debuerunt neque potuerunt.

Quod si librum octavum ita contemplamur, ut orationum obliquo sermone relatarum rationem instituamus et maxime

actionem illam publicam animo comprehendamus, quae c. 5—7 Tissaphernes, Pharnabazus, Chii, Erythraei Spartae egisse narrantur, in secreto egerunt, ut ex his verbis apparet: *πρασσόντων δὲ ταῦτα χωρὶς ἑκάστων* (6, 2) et *πάντες γὰρ κρύφα αὐτῶν ἐπρεσβεύοντο* (7, 1). Atque etiam in ephororum consilio neque in publico Alcibiades (c. 13), ut expeditio Samum suscipiatur, effecit.

Ut hoc quidem loco c. 14 omittamus, de quo postea dicendum sit,[1]) obliqua oratio satis longa occurit in c. 27, cum ceteri duces Atheniensium pugna navali decertare cupiunt, Phrynichus obloquitur. Attamen cum dubitari non possit, quin oratio Phrynichi in ducum consilio habita sit, perspectum est, Thucydidem pro proposito suo et rei natura eam directo sermone explicare non potuisse. — Uberius deinde probari non debet, ea, quae c. 40 Chii ab Astyocho postulaverunt, directis verbis a Thucydide dici non potuisse, neque etiam ea, quae c. 43 ab undecim viris Lacedaemoniis ad Tissaphernem dicebantur.

Sed iam ad ipsam causam publicam, quae Sami initium cepit accedamus. Ac primum quidem, cum constet Thucydidem ea verba, quae apud singulos homines facta sunt, directo sermone profundere nec voluisse nec debuisse, nemo miretur capitibus 45 et 46 ea quae Alcibiades ad Tissaphernem locutus est, obliquo sermone referri. Neque certo credat quisquam, Thucydidem ea verba, quibus Alcibiades legatos civitatum prosecutus esse narratur (c. 47), directo sermone afferre debuisse. Apparet enim non ipsam rem satis memorabilem visam esse quae enarraretur, sed id interfuisse, ut Alcibiadis natura atque consuetudo significaretur. Quare ne id quidem ostendit scriptor, quo tempore illa allocutio ad legatos facta esset.

Sed postquam Thucydides iam depinxit, quales Samiorum quorundam et Atheniensium voluntates fuissent, c. 48 legimus homines Athenienses vel ultro vel ab Alcibiade adductos de civitate mutanda conspirationem iniisse et in multidudinem praedicasse, regem Atheniensibus amicum futurum esse, si Alcibiades revertisset neque ipsi populi arbitrio gubernarentur. Quae voces coniuratorum num in iusta concione prolatae sint, admodum dubitandum est cum Thucydides nihil explicet.[2]) Neque etiam

---

[1]) p. 36.

[2]) Thucydidem conciones quae illis temporibus fiebant diligentissime significare his locis probatur: 67, 1. 2; 76, 2; 81, 1; 2; 86, 1; 93, 1; 94, 1.

quidquam decretum esse apparet. Quare nos quidem putamus homines factiosos sermonibus qui per occasionem fiebant voluntates multitudinis tentasse nec non in concionibus, quamquam ad id ipsum finem non convocatis. Ad quod iudicium adducimur cum haec verba reputantes: *ἐς τοὺς πολλοὺς φανερῶς ἔλεγον* (in quibus tempus imperfectum usurpatum considerandum est, cum postea verbo *ἐκοίνησαν* tota illa disquisitio voluntatum perfecta esse significetur) et *ὁ ὄχλος* et *τῷ πλήθει*, tum cogitantes, si consilia illa in concione palam prolata essent, non opus futurum fuisse, ut coniurati iterum in consiliis clandestinis agerent.

Quae deinde Phrynichi oratio a Thucydide obliquo sermone exponitur, sine dubio in consilio aliquo clandestino habita est. Nam primum ipso enuntiatorum nexu id probatur: *οἱ συνιστάντες τὴν ὀλιγαρχίαν ἐν σφίσιν αὐτοῖς καὶ τοῦ ἑταιρικοῦ τῷ πλέονι τὸ ἀπὸ Ἀλκιβιάδου ἐσκόπουν. Καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἐφαίνετο εὔπορα καὶ πιστά, Φρυνίχῳ δὲ στρατηγῷ ἔτι ὄντι οὐδὲν ἤρεσκεν.* Deinde autem si Phrynichus eam orationem, qua totam suam de Alcibiade sententiam aperit, apud populum habuisset, c. 51 fieri non posset, ut homines ei magis crederent quam Alcibiadi. Ac ne quis miretur, Phrynichum quamquam ab iis quae agebantur dissentiret, tamen coniurationi interfuisse, ii qui novis rebus studebant sine dubio aequum putaverunt eum quoque, ut praetorem, consiliorum suorum initio quidem conscium fieri.

Sed iam ad reliqua transeamus. A coniuratis Pisander aliique legati Athenas mittuntur, qui in populo agant ut Alcibiades revocetur et imperium populare dissolvatur (c. 53). Quae si Pisander statim in concione praedicasset, satis imprudens exstitisset; neque tale quid commemoratur. Immo existimandum est, cum primo singuli singulos adirent, paulo post rem magis pervulgatam esse et iam aperte disputatam. Qua in re legati cautissime egisse videntur, cum verbis *κεφαλαιοῦντες ἐκ πολλῶν* significetur, eos non claris verbis quid vellent aperuisse, sed multis ambagibus factis ad illam gravissimam rem descendisse. Ita igitur legati Athenis egisse videntur, ut c. 70 libri III de rebus Corcyraeis legimus: *καὶ ἔπρασσον οὗτοι ἕκαστον τῶν πολιτῶν μετιόντες, ὅπως ἀποστήσουσιν Ἀθηναίων τὴν πόλιν.* Neque porro censeo in concione de rostris, ut ita dicam, Pisandrum ea verba, quae a Thu-

---

Neque uno quidem loco certo demonstrare possumus iustam concionem factam esse, quin Thucydides ipse verbis ostenderit.

cydide directo sermone afferuntur (53, 3), fecisse (quamquam verbo παρελθών id fortasse alicui persuadeatur), sed ad singulos adeuntem. Quo fit, ut verbum παράγων non vertendum sit ‚adducens' sed ‚seducens'. Neque hac re contra eam sententiam dicere videmur, quam supra edidimus, eas tantum orationes directa forma enarrari, quae ad plures habitae sint, cum oratio ad singulos saepissime repetita idem valeat quod ad plures habita. Atque ut iam nostram sententiam de capite 53 et sequenti proferamus, concio quidem vel primo legatorum adventu, vel, id quod multo probabilius est, post aliquantum tempus habita est; postquam autem ii, qui novas res moliebantur, imprimis cum singulis egerunt, omnibus de rerum statu edoctis plebiscitum factum est, ut Pisander et decem viri cum Alcibiade et Tissapherne ipsorum arbitrio agerent.[1]) Ex hoc plebiscito, quod ad civitatem mutandam minime spectet, fortasse apparet, legatos potius contendisse Tissaphernem et Alcibiadem mutationem rerum poscere, quam ut ipsi id admodum premerent. Utut autem est, id profecto constat, legatos de populari imperio dissolvendo libere dicere non potuisse, cum timendum esset, ne in γραφὴν παρανόμων incurrerent. Thucydides autem, si longiorem orationem directo sermone afferre voluisset, ut validum argumentum subiiceret, facere non potuisset, quin de civitate dissolvenda libere verba facientem aliquem induceret. Id ipsum autem se facere velle Pisander negat, cum profiteatur: τοῦτο οὐκ ἔστιν ἡμῖν γενέσθαι εἰ μὴ . . . . μὴ περὶ πολιτείας τὸ πλέον βουλεύσομεν ἢ περὶ σωτηρίας, magnaque cum cautione dicat: ἐς ὀλίγους μᾶλλον τὰς ἀρχὰς ποιήσομεν ἵνα πιστεύῃ ἡμῖν βασιλεύς.

Legati ad Alcibiadem missi infecta re decedunt seque Samum conferunt. In qua urbe quamquam minime otiosi erant, sed ad maxima negotia accedebant, tamen Thucydides primum res bellicas, quae eo tempore fiebant. proponit et c. 56 demum confitetur, Athenis populi imperium dissolutum esse. Et pergit quidem satis explicate de ea re disserere, attamen memorabile est, totum locum ad id annecti, quod Athenienses sibi ipsis diffisi cum Astyocho ad insulam Samum pugna navali decertare dubitaverunt. Quod non tam ad neglegentiam quam ad summam artem revocandum videtur, cum non negligentis sit hoc modo causas rerum inter se connectere.

---

[1]) Quae sententia c. 70 libri III fulcitur.

Ac primum quidem quales in urbe Samo res fuerint, Thucydides disputat (c. 63). Qua in re vix mirum est ea verba, quae sub finem capitis leguntur, obliquo sermone allata esse. Quamquam enim id directae formae fortasse non obstabat, quod sine dubio non ad certam orationem sed ad complures voces et cohortationes spectant, cum saepius Thucydides compluria dicta in unam orationem directam conformet,[1]) tamen locus non est is, qui directa oratione exornari possit. Neque etiam in iis quae c. 67 et 68 de rebus Atheniensibus dicuntur, directam orationem exspectare possumus. Videtur enim magis partium dictis (*λόγος ἐκ τοῦ φανεροῦ προςείργαστο αὐτοῖς ὡς . . . κτλ.* 65, 3) quam orationibus actum esse; et si quis in concione ad dicendum prodibat, praedictum erat, quid loqui deberet cautumque ne quis obloqueretur (c. 66, 1. 2). Neque etiam in ea de qua agimus concione coniuratorum sententiae quisquam restitit (cfr. c. 69, 1). Quae cum ita sint, num censes Thucydidem, apud quem orationes publicas summam auctoritatem habuisse ex ipsis directis orationibus perspicere possumus, locum dignum et aptum putavisse, quo oratione directa cogitationes nostras magis incitaret? Nonne turpissimam illam rem vere quidem, attamen non distincte oculis proponere debuit? Porro cum Thucydides orationibus directis sententias secum decertantes facere soleret, tunc quidem alternis orationibus nos ipsos diiudicantes facere non potuit. Denique initio c. 68 ipse scriptor ostendit minus orationibus et dictis Pisandri quam Antiphontis machinationibus rem susceptam ad finem perductam esse.

Sed iam memoriae proditur (c. 67) Pisandro auctore concioni placuisse, decem viros creari rei publicae constituendae. Quos primum tulisse, ut quod quisque vellet dici liceret; deinde Pisandrum, ut ad cccc viros summa potestas deferretur. Quid? nonne hoc loco oratio directa apta fuit? Sane, si quidem easdem rationes atque in rebus bellicis enarrandis scriptor secutus esset. Sed hoc ipso loco cernere possumus, quanto iure ab illis in his rebus discesserit. Quamquam enim putare possumus, Pisandrum non postulata modo illa protulisse, quae paragrapho tertia c. 67 exponuntur, sed ampliorem orationem habuisse, tamen nobis quidem ridiculum videretur, si oratione eius eae res nobis explicarentur,

---

[1]) Tamen qui exempla eiusmodi quae prioribus septem libris (IV, 81; VII, 67, 3; VII, 65, 3; 69, 1; 76) praebentur cum octavo libro comparaverit, nescio an discrimen quoddam inter utraque intercedens intellecturus sit.

quas iam dudum ipsi cognovimus. — Sed cum tamen ea lex, qua populare imperium sublatum est, ad ipsas res gerendas multum valuerit, Thucydides ut id significet nostrasque totius rei cogitationes adiuvet, excellentissimo consilio utitur, cum eorum, qui novam rerum conditionem maxime moliti erant, mores ac naturas praeclare depingat. Ac profecto si hos viros contemplamur, industriam ac consilium, quo res illa acta sit, optime nobis repraesentare possumus.

Dum illa Athenis geruntur, Sami res iam mutatae sunt. Atque ex legatis qui ea de re relaturi Athenas missi sunt, unus Samum reversus de iis quae Athenis fiant mentitur (c. 74).

Quam orationem prae natura sua scriptor directe afferre non potuit. Neque etiam quod c. 76 exponitur milites ad Samum sese cohortatos esse, directa oratione iure redditum esset. Nam ne dicam verbis illis magis animos militum significari quales per aliquod temporis spatium fuerint, quam ut ad certam orationem revocanda sint, totus locus non tam gravis est, qui directa oratione extolli debuerit. Atque etiam quidnam Thucydides directo sermone adhibito efficere potuit? Num ut nos de quadringentorum conditione vel de Tissaphernis et Alcibiadis voluntatibus edoceret?[1]) At id non est primarium orationum directarum, atque etiam ipsam illam rem penitus iam cognovimus. Admodum dubium quidem est, num Thucydides de confusis atque obscuris illis rebus plura nobis narrare potuerit, quam antea significavit nosque scimus.

Capite 81 a principibus Samiis Alcibiades ad exercitum Samum revocatur. Hoc profecto maximum momentum est, neque ad civilem tantummodo discordiam sed multo magis etiam ad totum bellum pertinens. Quod si tamen oratio directa deest, eius rei causa non ex natura huius libri octavi partis sed aliunde petenda est. Nam si directas orationes, quae in Thucydidis opere occurrunt, contemplamur, facile perspicimus, Thucydidem id potissimum curavisse, ut orationibus sanum ac validum argumentum subesset, neve vanis elocutionibus aures potius quam animi implerentur. Quid autem aliud Alcibiades in concione Samiorum quam magnifica et mendacia verba fecit? Atque ad id genus revocamus illud *οὐδ' ἢν δέῃ τελευτῶντα τὴν ἑαυτοῦ στρωμνὴν*

---

[1]) Quae est sententia Roscheri p. 355.

ἐξαργυρίσαι neque Roschero et Dietrichio assentimur, qui hoc potissimum probare student, Thucydidem postea eam orationem in directam formam mutare voluisse.[1]) Nam apud milites quidem Alcibiades mentiri potuit, Tissaphernem Atheniensibus toto animo favere; nos, qui sententiam illius satrapae novimus, moleste tale mendacium ferremus, aut certe adduci non possemus, ut eandem spem quam milites de eo haberemus. Ad nos autem potissimum orationes directas spectare supra demonstratum est.

Neque porro erat, quod Thucydides c. 86 verba Atheniensium legatorum directo sermone proponeret, cum ea tantum, quae Chaereas mentitus erat, refutarent; nec maior vis iis attribuenda videtur, quae Alcibiades ad illa legatorum respondit.

Quo Alcibiadis responso Athenas relato cum etiam in ipsa urbe multi praesentem statum rerum moleste ferrent, cccc viri timore adducti legatos de pace Spartam miserunt (c. 90). Sed cum nihil efficeretur, non erat, quod verba legatorum amplius explicarentur.[2])

Occurrunt porro verba a Theramene de munitionibus Piraeei facta (c. 91). Quae tamen oratio non in iusta concione neque uno certo tempore habebatur, sed in multitudine et diversis temporibus, ut ex verbis *ταῦτα διεθρόει* (c. 91, 1) et *πρότερον μὲν οὖν κατ' ὀλίγους τε καὶ κρύφα μᾶλλον τὰ λεγόμενα ἦν* (c. 92, 2) apparet.

Sed iam ad locum pervenimus, quo fortasse quis orationem directam desideret (c. 92). Res enim ad discrimen vocata est et iam milites, qui in Piraeeo sunt, quadringentorum imperio resistere conantur. Quare haud absurdum videatur antea militum animos oratione directa incitari. Attamen cogitandum est, Theramenem, qui dissensionis acerrimus auctor erat, usque ad extremum tempus speciem fidei adversus quadringentos viros servare neque etiam militum seditioni interesse.

Graviore tamen ratione in c. 93 Thucydides impelli poterat, ut directam orationem afferret, in quo ii qui imperium tenebant cum militibus gratiam reconciliaverunt, maximaque dissensio, qua res Atheniensium diu vexatae erant, composita est. Ac confiteri debemus, nisi aliis causis supra allatis Thucydides prohibitus esset,

---

[1]) Roscher p. 163. Dietrich p. 9.

[2]) Velim conferas c. 59 libri II, quo loco idem usu veniat.

non dubium esse, quin hoc loco directum sermonem usurpaturus fuerit.

Extremas denique conciones, quae Athenis de rebus civilibus habebantur, orationibus directis vacare, nemo mirari potest. Nam etiamsi notam illam atque institutam Thucydidis rationem omittamus, ea quae tunc statuta sunt, quamquam magno in futurum tempus momento fuerunt, antea tamen nimis agitata erant, quam ut directa oratio ad ea efferenda apta videretur.

Restat ut de iis rebus bellicis in libro octavo enarratis pauca disputemus, quae aliquo maioribus momentis fuerint. Quas tres reperimus: defectionem Chiorum, occupationem Euboeae insulae, pugnam ad Cynossema factam.

Ac primum quidem c. 14 res gravis enarratur, cum Thucydides exponat, Alcibiadem Chium venisse hominesque a societate Atheniensium avocasse. Chiorum civitas enim non solum omnibus opibus florebat, Atheniensibusque usque ad id tempus certissimo semper subsidio fuerat (cfr. VIII, 24), sed etiam eorum exemplo adducti multi et alii socii Atheniensium ad Lacedaemonios defecerunt. Quare monuerit aliquis expeditionis illius a Brasida ad urbes Thraciae susceptae (IV, 78 sq.) dixeritque eadem ratione etiam hic directam orationem postulari. Sed tamen interest fortasse aliquid. Brasidas enim magno exercitu in fines illos pervenit eoque timore maxime civitates sibi conciliavit; Alcibiades quinque tantum naves secum habuit (VIII, 12, 3) ideoque verbis potissimum hominibus vel timorem vel spem iniicere debuit. Et quanto distant Alcibiadis verba a Brasidae oratione! Hic suo iure magna dicit, ille mendacia fingit. Quare mirari non debemus, quod alterius verba directa, atlerius obliqua forma a Thucydide referuntur. Huc accedit, quod (non veremur dicere) studio quodam Thucydides homines describit, eo scilicet studio, quod scriptore dignissimum est. Ii enim homines, qui digni videantur, quos alii imitentur, Pericles, Brasidae, Hermocrates, Niciae cum diligentia quadam atque cupiditate nobis proponuntur, Cleones, Alcibiades curat scriptor ne nimis efferantur. Quod si supra mirabamur (p. 26) Cleoni quodam loco orationem non attribui, et si reputamus et Cleonem et Alcibiadem parem in Thucydidis vituperationem incurrisse (cfr. V, 7; IV, 28, 5; 39, 3; V, 43; VI, 15), nonne existimare possumus Alcibiadi aliquo loco directam orationem recte non attribui, cum alius viri verba directa forma

Thucydides retulisset? Ceterum in hac disputatione alterum ex altero sequi facile apparet. Propterea enim Cleonem et Alcibiadem Thucydides improbavit, quod homines magnorum et pulchrorum sed saepe inanium verborum erant.

Deinde ante pugnam navalem ad Euboeam commissam propterea sine dubio Thucydides orationem directam non attulit, quia nulla vel brevissima tantum est habita. Nam et Lacedaemoniis, qui Athenienses imprudentes aggredi studebant, et Atheniensibus, qui opprimebantur, tempus concionandi defuisse videtur. Ceterum pugna gravis erat non tam magno navium certamine quam iis rebus, quae sequebantur. Quam summam calamitatem Euboeae amissae ab Atheniensibus acceptam uberrime scriptor suis verbis perlustrat (c. 96).

Magis iam miramur, quod ante pugnam navalem ad Cynossema factam oratio directa non occurrit. Nam et satis magna erat pugna multitudine navium et complures dies praeparabatur et ipse Thucydides summum momentum ei tribuit. — Attamen orationes a ducibus fortasse non habitae sunt. Deinde etiam, id quod Kruegerus iam attigit,[1]) ad omnes milites Atheniensium non una eademque oratio habita est sed ad singulas partes a ducibus. Quas quidem orationes a compluribus viris in terra factas nonnunquam una oratione Thucydides complectitur neque iniuria, cum cogitare possimus, omnes milites eas audivisse;[2]) cum autem ante pugnam navalem naves iam per longum spatium dispositae sint, tale quidquam a scriptore fieri non potest. Omnes autem orationes vel unam tantum ad aliquam partem militum habitam proferre admodum fuit, quod scriptor dubitaret. Denique, atque id plurimum valere nobis videtur, reputandum est, si Thucydidis opus ad finem perductum esset, futurum fuisse ut haud ita multo post maxima pugna ad Cyzicum commissa narraretur. Quare vis orationum directarum saepius usurpata ne nimis diminueretur, eo loco directo sermone Thucydides supersedit.

Quam argumentationem nihil valere inde aliquis colligat, quod identidem Thucydides orationes complures una proferre non dubitet atque etiam res, quae pugna ad Cynossema commissa minores sint, nonnunquam directis orationibus extollere videatur. Attamen quisquis totius operis naturam contemplabitur, facile duas summas

---

[1]) Krüger: Untersuchungen über das Leben des Th. p. 79.

[2]) cfr. p. 33.

partes reperiet, quarum altera bello quod dicitur Archidamio, altera bello Siciliensi continetur. Quarum utramque tempora quaedam subsequuntur, quibus civitates bellum gerentes non omnibus viribus inter se contendant, sed ad nova certamina vires tanquam reficiant. Et si opus perfectum esset, tertia pars secuta esset, qua extremis contentionibus factis Athenienses tandem superari enarraretur. Illa autem utraque pars in initiis quidem orationibus directis, quae vel ad bellum suscipiendum vel ad primas pugnas committendas spectant, saepius exornatur, postea rarius. Atque hoc quidem humani animi ratione maxime habita. Initio enim magni conatus summa attentione ad unamquamque rem accedimus, proinde quasi in ea discrimen rerum positum sit; postea vero hebescunt animi nec facile ullo momento magis eriguntur. Quod cadit et in eos homines, qui tunc res gesserunt et in nos, qui legimus. Quare in cursu rerum enarrando ut maxima tantum facta summam attentionem nostram occupare possunt, ita etiam orationes directae rariores fieri debent. Unde sequitur Thucydidem non laudandum esse, si ante pugnam ad Cynossema commissam orationem directam attulisset.

Quoniam his rationibus atque argumentationibus nostrum iudicium probare studuimus, restat, ut summas aliorum virorum sententias proferamus et quatenus ad nostram accedant paucis exponamus.

Atque Roscheri sententia supra (p. 2) exposita est.[1]) Quae primum eam dubitationem movet, quod de Thucydidis genere scribendi multo alia sententia statuenda nobis videtur quam ut dubitare non possimus, quin Thucydides utramque operis partem (I—IV, 48; IV, 48—VIII) non quidem properanti sed uno cursu confecerit. Quodsi in eo, quod Thucydidi orationes directas postremo demum inserere placuerit, Roscherus summam ingenii conditionem naturalem animadvertit,[2]) confitendum est, nos Roscheri sententiam non satis intelligere. Immo haec scribendi

---

[1]) Iudicium ad illud Roscheri proxime accedens de orationibus quae in libro octavo occurrunt in quaestionibus de libro octavo Thucydidei operis diligentissime conscriptis (Praelus. academiae equestris Brandenburgensis 1868). Mewes vir doctissimus protulit. Quod iisdem atque Roscheri sententia argumentationibus refutatur.

[2]) Roscher p. 163: Es ist dies ein redender Beweis von der hohen Natürlichkeit seiner Muse.

simplicitas summa est atque ad naturam rei maxime accedere videtur, si scriptor ipsis rebus quae fiebant quasque modo enarrabat totus perculsus orationes loquentium format. Hoc quidem modo maxime assequi Thucydides poterat, quod assecutum esse eum Roscherus praedicat,[1]) ut orationes directae e rebus tanquam enatae esse videantur. Nam id profecto nemo negare potest, scriptorem nullo tempore ita toto animo in rebus versari, ut eo, quo eas enarraverit.

Porro quibus rationibus Thucydides adduci poterat, ut directas orationes formandas in alteram tractationem differret? Nos quidem nullam probabilem reperimus. Atque etiam curnam uno loco in libro octavo directa oratio invenitur? Denique si priorum septem librorum orationes directas contemplamur, nulla occurrit, de qua non certissime afferatur, quo tempore quoque loco habita sit. Quod in orationibus obliquis libri octavi saepius desideratur, quamquam dubium esse non potest, quin Thucydides, si obliquas in directas postea transformare in animo habuisset, de illis rebus iam aliquid certi prolaturus fuerit.

Venimus iam ad Niebuhrii de octavo libro sententiam.[2]) Qui vir doctissimus explicat prioribus libris orationes directas a Thucydide in narrationem immissas esse, ut maiestas ac dignitas rerum magis extolleretur; cum autem expeditione Siciliensi male gesta reliquum belli tempus Atheniensibus miserrimum fuisset, et omnes res iam ad certum tristemque eventum festinassent, scriptori non placuisse, malis rebus enarrandis excelsas orationes inserere vel celerem cursum rerum orationibus ac deliberationibus retardare.

Atque ea quidem quae de vi ac potestate directarum orationum Niebuhrius protulit, quamquam ad nostram sententiam proxime accedere videntur, tamen alienissima sunt. Nam si totam Niebuhrii argumentationem contemplamur, censet, directas orationes eo consilio immissas esse, ut uberiore modo dicendi maximus vigor ac potestas, qua Atheniensium civitas usque ad bellum Siciliense confectum floruisset, magis animis nostris proponatur.[3]) Nos existi-

---

[1]) Roscher p. 160. 161.

[2]) Rhein. Museum 1827 I. p. 188. — Vorträge über alte Geschichte II. S. 42.

[3]) Hanc Niebuhrii sententiam esse inde efficitur, quod directas orationes deesse dicit postquam res Atheniensium minores factae sint.

mamus, quo quaeque loco oratio directa inveniatur, eum potissimum ad nostram considerationem ac sensum admoveri. Si illa Niebuhrii sententia vera esset, mirum videretur, quod prioribus libris in rebus non modo Atheniensium sed aliarum quoque civitatum orationes directae occurrunt; neque intelligi posset, quoniam in septem prioribus libris complurium civitatum res directis orationibus exornantur, quidni in octavo libro et in iis, qui fortuna favente fortasse secuturi fuerint, res Lacedaemoniorum extollerentur, quae minime miserae videbantur; ne dicam etiam extrema belli parte nonnullas res bene Atheniensibus evenisse.

Sed cum hae cogitationes ita fortasse repelli possint, ut genus dicendi ex toto animi sensu, quo scriptor in scribendo fuerit, explicetur, tria alia summam dubitationem praebent. Primum enim, quis putet, Thucydidem, qui quam maxime studuerit, ut sine ira et studio historiam scriberet, illo modo studium summum Atheniensium ostendisse? Neque credibile est ad hunc finem orationes directas tanta diligentia eum elaborasse. Denique, ubinam legimus, Thucydidem Siciliensi clade accepta res Atheniensium omnino desperatas putavisse atque irreparabiles? Neque id quod Niebuhrius dixit: Mit der Zerstörung der athenischen Expedition nach Sicilien ging das alte, colossale Athen und die schöne Zeit Griechenlands zu Grunde, und der übrige Krieg war jammervoll und herzzerreissend; man sah nun das Ende schon voraus. Dies ist der Grund, warum Thuk. das 8. Buch anders schrieb als die früheren. Bis zu Ende des 7. Buches steigt die Feierlichkeit seiner Erzählung, wie die Grösse der Ereignisse steigt: nun aber war die Grösse dahin und jetzt war nichts mehr feierlich und erhaben zu erzälen: es war kein Wille mehr vorhanden, man war in dem Unglücke und konnte nicht mehr anders handeln als der eiserne Gang des Schicksals wollte — in ipsius Thucydidis iudicium cadere his locis Thucydidei operis probatur II. 65, 12 et VI. 15, 3. 4; ex quibus apparet, Thucydidem ne eas quidem dissensiones, quae annis CCCCXI et CCCCX fiebant, quarumque explicationes libro octavo continentur, civitati Atheniensium maxime perniciosas putavisse, sed eas, quibus Alcibiades anno CCCCVII ab imperio removebatur quaeque postea civitatem vehementer turbabant. Sed si tamen ea omnia in Thucydidem conferre possumus, nonne artis ratione prohibebatur priorem et posteriorem operis sui partes tam diverso genere conficere? Quare Niebuhrii sententia, quamvis arguta appareat, tamen reiicienda est.

Kruegerus porro ipse quoque putat,[1]) consilio Thucydidem orationes directas in libro octavo omisisse atque id ita probat, ut dicat, et scriptorem ea quae directis orationibus egisset, iam assecutum esse, neque orationes iis temporibus habitas esse, quarum argumenta digna viderentur, quae directo sermone extollerentur. Putat autem Kruegerus[2]) Thucydidem eo summo consilio directas orationes formasse, ut naturas ac mores gentium belligerantium, rerum publicarum rationes atque conditiones depingeret. Quam sententiam falsam esse disputatione supra suscepta apparuit; sed si tamen eam probamus, nullus octavo aptior liber videbatur, in quo res quae actae sunt directis orationibus planius explicarentur. Quod si Kruegerus haec profert: ,Weil bei den in demselben erzälten Ereignissen wirklich keine Reden gehalten waren, deren Nachbildung durch historisches Interesse hinlänglich gerechtfertigt erscheinen könnte', primum considerandum est Thucydidem orationes re vera habitas adeo non imitatum esse, ut vel a vero argumento nonnunquam discederet.[3]) Quare etiamsi memorabilis oratio non habita esset, tamen Thucydides aliis fortasse causis impulsus directam orationem afferre poterat. Deinde autem difficillimum demonstratu sit, uniuscuiusque earum orationum quae directa forma expressae sunt, ipsum argumentum tam grave fuisse, ut Thucydides ad directum sermonem adduceretur.

Goellerus[4]) denique, quamquam ipse quoque intellexit multas orationes libri octavi propterea a Thucydide directo sermone referri non potuisse, quia in consiliis clandestinis habitae erant, tamen satis multas reliquit, de quibus tale quid dici non possit. Quare ne eum quidem toti rei satisfecisse existimamus.

Quae cum ita sint, apparet horum virorum sententiis eam, quam nos de orationibus libri octavi protulimus, reiici non posse; quapropter huic parti nostri propositi satisfecisse videbimur, si nostrum iudicium paucis et planis verbis protulerimus. Summa autem rei est haec:

Primum ac praecipuum enarrandum Thucydides proposuit sibi bellum Atheniensium et Peloponnesiorum. In quo conscribendo directis orationibus usus est ut maximo quisque locus momento ad bellum fuit. Eae res, quae octavo libro explicantur, maximo

---

[1]) Untersuchungen über das Leben des Thuk. p. 79

[2]) Krüger: Dionysii Historiogr. p. XXIX.

[3]) Conferas quae p. 11 de oratione funebri Periclis diximus.

[4]) Thukydides, editio altera p. 36 sq.

momento ad bellum fuerunt; quare eo loco, quo ad bellum valere incipiunt, scilicet eo loco, quo tota res civitatem alterius belligerantis partis vexare incipit, directa oratio, brevis quidem sed aperta et clara invenitur. Ipsa autem enarratio discordiarum illarum civilium cum non ad bellum gerendum spectaret, tanquam res secundaria directis orationibus recte non distincta est. — Bellicarum rerum quae in octavo libro proponuntur una tantum ea est, quae oratione directa ornari possit, sed ne in ea quidem oratio directa occurrit, atque recte, quod paullo post pugna ad Cyzicum commissa, quae multo maior erat, enarranda fuit, atque consentaneum est, in longiore rerum explicatione orationes directas rariores fieri. Quod si etiam pugna Cyzicena vel alia magna certamina a Thucydide enarrata essent, non dubium nobis est, quin in iis orationes directae legerentur.

Altera commentationis nostrae parte dicendum est de sermone libri octavi. Priusquam autem de genere dicendi et de forma enunciatorum disseramus, proponendum nobis videtur, neminem fere recentioribus temporibus censere, octavum librum ea forma qua in inconditis scriptoris commentariis fuerit, nobis traditum esse. Immo plurimi existimant, orationibus exceptis ipsam libri octavi explicationem talem fere esse qualem in omne tempus scriptor esse voluerit, quamquam verisimile sit, si Thucydidi librum octavum denuo tractare licuisset, nonnulla sermonis, in quibus nunc offendamus, emendaturum eum fuisse.

Ac profecto si quis octavum librum contemplabitur, facile intelliget, argumentum iam artis legibus distributum, compositum, elaboratum esse. Attamen neque totus sermo tam elegans atque elatus esse videtur quam in prioribus septem libris, et enunciatorum formae nonnunquam offensionem movent.

Quod quidem utrumque nemo negare potest. Sed cogitandum est totum argumentum libri octavi multo discrepare ab eo, quod septem prioribus libris continetur. Cum illic scriptor unum narrationis cursum plerumque tenere potuerit, apparet in octavo libro plurimo et vario argumento eum tamquam opprimi. Quare vix mirari debemus, quod Thucydides interdum satis habet, res, quae factae sunt, enumerare.[1]) Sed quod notatur in libro

[1]) Hac consideratione ea excusare nobis videmur quae Mewes (p. 19. 20) reprehendit cum de narratione libri octavi saepe interrupta disputet.

octavo enunciata nonnunquam levius inter se connecti quam par sit, id ita quidem falsum est, ut idem etiam prioribus libris crimini dari possit. Saepius enim Thucydides enunciata particulis *τέ* vel *καί* coniungit, ubi nos vel validiores copulas probemus vel alterum enunciatum ex altero pendens faciamus. Quod quidem negligentiae cuidam attribuendum est, sed considerandum, eam Thucydidi cum poëtis et vitae usu atque consuetudine communem esse. Quare Dietrichio assentiri non possumus, qui in ‚Quaestionibus Thucydidiis' (p. 15) dicit, Thucydidem si ipse sibi constans fuisset c. 5 scribere debuisse: *καὶ οἱ μὲν ἦλθον .... ὁ δὲ παρεσκεύαζε* pro: *οἱ δ' ἦλθον ... καὶ παρεσκεύαζε* spectantes hos locos: *ἦλθε δὲ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις ἡ ἀγγελία καὶ πέμπουσι* (I, 61, 1) et *οἱ δὲ Κορίνθιοι ... ἀνθίστασαν τρόπαιον ... καὶ οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς ἵσταντας διαφθείρουσι* (I, 105, 1) et multos alios (ut I, 26, 4; V, 24, 4). Neque est, quod Dietrichius in c. 27 libri VIII pro *δὲ* in verbis *ὡς τάχιστα δὲ ἐκέλευε* postulet *δή* vel *ὥστε* vel *διὰ τοῦτο,* cum hoc enunciatum, quo quid fieri velit Phrynichus exprimitur, antecedenti opponatur, quo quid ille praetor impedire voluerit cognoscimus. — Denique si in c. 82 libri VIII. Dietrichius hanc iuncturam verborum reprehendit: *οἱ δ' ἀκούσαντες .... στρατηγόν τε αὐτὸν ... εἵλοντο καὶ τὰ πράγματα πάντα ἀνετίθεσαν τήν τε παραυτίκα ἐλπίδα ἕκαστος οὐδενὸς ἂν ἠλλάξαντο* et pro posteriore *τέ* poni vult *καὶ δή* vel *τότε δή,* omnino eum fefellisse videtur, particulam *τέ* a Thucydide saepissime ita usurpari, ut id, quod ex rebus efficiatur, cum antecedenti coniungatur. Cuius rei duo exempla apposuimus: *Μίνως ναυτικὸν ἐκτήσατο ... καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἦρξέ τε καὶ οἰκιστὴς πρῶτος τῶν πλείστων ἐγένετο Κᾶρας ἐξελάσας καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας τό τε ληστικὸν, ὡς εἰκός, καθήρει ἐκ τῆς θαλάσσης* (I, 4) et *οἵ τε Λακεδαιμόνιοι τῶν ξυνπολεμησάντων Ἑλλήνων ἡγήσαντο δυνάμει προύχοντες, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι .... ἐς τὰς ναῦς ἐσβάντες ναυτικοὶ ἐγένοντο, κοινῇ τε απωσάμενοι τὸν βάρβαρον ὕστερον οὐ πολλῷ διεκρίθησαν* (I, 18, 2).

Plus iam dubitationis movet, quod nonnullis locis res longius explicantur, quam necesse fuit. Quod animadvertitur his locis 66, 3. 5; 71, 1; 83, 3. Sed quamquam confiteri debemus, cum pioribus tribus exemplis similes locos ex antecedentibus libris petitos nos conferre non posse[1]), tamen illam rem cum saepius

---

[1]) Quamquam a similibus verbis cumulandis Thucydidem non

occurrat in octavo libro, non negligentiae tribuere possumus sed Thucydidis proprio generi dicendi, qui studio res quam diligentissime atque accuratissime exponendi perductus sit. Atque etiam si quis eos quos attulimus locos accuratius consideraverit, facile intelliget, supervacaneum nihil dictum esse.

Is enim locus, qui ab Arnoldo in editione Thucydidis vituperatus est, *καὶ τὸ ἄπιστον οὗτοι μέγιστον πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐποίησαν, καὶ πλεῖστα ἐς τὴν τῶν ὀλίγων ἀσφάλειαν ὠφέλησαν βέβαιον τὴν ἀπιστίαν τῷ δήμῳ πρὸς ἑαυτὸν καταστήσαντες* (66, 5), ita explicandus esse videtur, ut dicatur, eos, qui praeter spem rebus optimatium studerent, effecisse, ut plurimi in suspicione essent; ea autem re maxime illorum securitati consuluisse, cum plebi confidentiam sui adimerent. Verbis igitur *βέβαιον .... καταστήσαντες* certius significari videtur, quomodo illud *τὸ ἄπιστον πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐποίησαν* effecerit, ut optimates adiuvarentur.

Porro Boehmius nimiam copiam verborum sibi videtur invenire in c. 71, in quo haec dicta sunt: *ὁ δὲ νομίζων τὴν πόλιν οὐχ ἡσυχάζειν οὐδὲ εὐθὺς οὕτω τὸν δῆμον τὴν παλαιὰν ἐλευθερίαν παραδώσειν, εἴ τε στρατιὰν πολλὴν ἴδοι σφῶν, οὐκ ἂν ἡσυχάσειν οὐδὲ ἐν τῷ παρόντι πάνυ τι πιστεύων μὴ οὐκέτι ταράττεσθαι αὐτούς.* Ac primum reprehenditur verbum *ἡσυχάζειν* bis usurpatum. Attamen cum et de praesenti et de futuro tempore idem dictum sit, aptissime scriptor eodem vocabulo uti videtur. Quod autem Boehmius dicit, verba *οὐδὲ ἐν τῷ ... αὐτούς* post enunciatum *ὁ δὲ νομίζων τὴν πόλιν οὐχ ἡσυχάζειν* abundanter prolata esse, considerandum est, hoc enunciato in initio posito ostendi, Agim regem res Atheniensium omnino inconstantes atque incertas putavisse, cum illis verbis ea respiciantur, quae ex rerum statu (*ἐν τῷ παρόντι*) Atheniensium res turbare possint, ut dissensio ea optimatium, consilia Alcibiadis, cupiditates militum Samiorum.

Denique nemo fere est, qui serio Thucydidi crimini det, quod in c. 83 verba *καὶ οὐ μόνον τὸ στρατιωτικόν* post *καί τινες καὶ τῶν ἄλλων ἀξιολόγων ἀνθρώπων* posuerit, cum ea abundantia verborum cum in ceteris scriptoribus Graecis tum in Thucydide saepius occurrat, ut idem negative, ut ita dicam, exprimatur, quod antea affirmative dictum sit. Quod his exemplis ex Thucydidis opere petitis comprobatur: *μέγιστον δὲ καὶ οὐχ ἥκιστα* (VII, 44) et *ὅτι*

---

abhorruisse docetur his: *καὶ τῶν παρόντων μέρος ἑκάστων κινδυνεύειν εἰκότως ἐθέλειν τολμᾶν* (III, 74, 4).

τάχιστα καὶ μὴ μέλλειν ἐξανίστασθαι (VII, 49) et *πλεῖστος φόβος οὗτος καὶ οὐδενὸς ἐλλάσσων* (VII, 85).

Sed iam multi contendunt, in libro octavo Thucydidem a legitima verborum structura tam saepe abhorrere, ut putandum sit postremam curam ad sermonem non esse adhibitam. Quod extremum vel propterea facile credimus, quia apparet, scriptorem subito impeditum esse, ne octavum librum conficeret; ipso autem sermone id demonstrare res lubrica atque subtilis videtur esse. Nam cum saepissime atque in omnibus operis sui partibus a consueto usu dicendi scriptor abscedat, hac in re propria libri octavi natura ita tantum apparere potest, ut inaequalitates vel crebriores vel graviores occurrant. Quod utrumque vix negari potest. Maior tamen insolitorum enunciatorum copia summo iure ad id revocari potest, quod argumentum libri octavi pertractatu multo difficilius erat quam priorum librorum.

Et si cogitamus omnes eas asperitates, quales in octavo libro sunt, duabus fortasse exceptis etiam in ceteris inveniri, num existimare debemus eas in libro retractando Thucydidem amoturum fuisse, cum in ceteris libris servaverit? Quam rem amplius persequi, ne longi simus, supersedemus, cum praesertim Poppo vir doctissimus commentatione de elocutione Thucydidis conscripta[1]) de ea re optime disputaverit.

Sed duo enunciata occurrunt, quibus alioquin similia non reperiantur, quorum tamen alterum propterea tantum hic appellatur, quod in eo duae inaequalitates coniunctae sunt, quae aliis locis separatae usu veniunt.

Legimus enim initio c. 81 in iis libris scriptis, quorum auctoritas summa est, haec: *Οἱ δὲ προεστῶτες ἐν τῇ Σάμῳ καὶ μάλιστα Θρασύβουλος, ἀεί τε τῆς αὐτῆς γνώμης ἐχόμενος, ἐπειδὴ μετέστησε τὰ πράγματα ὥστε κατάγειν Ἀλκιβιάδην καὶ τέλος ἐπ' ἐκκλησίας ἔπεισαν τὸ πλῆθος τῶν στρατιωτῶν κ. τ. λ.* Ac primum quidem *ἔπεισαν* in *ἔπεισε* mutari necesse est, ut cum sequentibus verbis finitis congruat; ita autem fit, ut verba finita non ad totum subiectum sed ad partem eius pertineant. Quae res quamquam in ceteris literis Graecis haud ita saepe invenitur, tamen Thucydides identidem cogitationibus suis magis quam enunciatorum legibus obsequens fines subiectorum sive con-

---

[1]) Poppo in editione Thucydidis P. I vol. I p. 85—307.

stringit sive amplificat. De qua re Classenius nonnulla disputavit; nos satis habere debemus eius rei luculentum exemplum apposuisse.[1]) Dicit enim scriptor in c. 18 libri primi postquam Athenienses, Lacedaemonios, utriusque civitatis socios commemoravit: *κοινῇ τε ἀπωσάμενοι τὸν βάρβαρον ὕστερον οὐ πολλῷ διεκρίθησαν πρός τε Ἀθηναίους καὶ Λακεδαιμονίους*, in quo enunciato illud *ἀπωσάμενοι* ad omnes eos qui antea nominati sunt, *διεκρίθησαν* ad socios tantum spectat. — Magis offendimus, quod particulis *τέ — καί* participium *γενόμενος* et verbum finitum *ἔπεισε* inter se iunguntur. Quamquam ne ea quidem res apud Thucydidem omnino nova est, cum alio loco (II, 29, 3) legamus: *Τήρης δὲ οὐδὲ τὸ αὐτὸ ὄνομα ἔχων βασιλεύς τε πρῶτος ἐν κράτει Ὀδρυσῶν ἐγένετο.* Quare quis pro certo contenderit, in libro retractando Thucydidem illud *τέ — καί* deleturum fuisse, cum hoc loco particula *τέ* ut in parvo enunciati ambitu multo maiorem offensionem praebeat?

In altero quod afferendum est enunciato negare non possumus, singulari quodam modo scriptorem a legitima structura aberrasse. Narrantur enim in c. 80 de classe Peloponnesiorum haec: *καὶ αἱ μὲν τῶν Πελοποννησίων αὗται νῆες ἀπάρασαι ἐς τὸ πέλαγος, ὅπως λάθοιεν ἐν τῷ πλῷ τοὺς Ἀθηναίους, χειμασθεῖσαι καὶ αἱ μὲν Δῆλον λαβόμεναι αἱ πλείους μετὰ Κλεάρχου καὶ ὕστερον πάλιν ἐλθοῦσαι ἐς Μίλητον (Κλέαρχος δὲ κατὰ γῆν αὖθις τὸν Ἑλλήσποντον κομισθεὶς ἦρχεν), αἱ δὲ . . . ἀφιστᾶσιν.* Apparet pro *λαβόμεναι* et *ἐλθοῦσαι* dicendum fuisse *ἐλάβοντο* et *ἦλθον*.

Quod anacoluthon cum omnium facile gravissimum sit, existimamus, futurum fuisse, ut in recensione octavi libri a Thucydide sanaretur; pro comperto tamen habere non possumus. Ad idem enim genus atque cetera id quoque revocare possumus, ut dicamus, praesenti cogitationi nimis indulgentem Thucydidem etiam in enunciatis formandis gravissima quaeque maxime premere, minoribus rebus ne id quidem attribuere, quod ex grammatica lege poscatur.

Quae cum ita sint, neque quisquam eam quam tractamus rem certo diiudicare possit, id consideremus, haud ita multum interesse num diiudicetur. Nam etiamsi quis certissime demonstret, scriptorem in altera octavi libri tractatione illa et alia enunciata mutaturum fuisse, tamen nihil aliud comperiamus, nisi Thucydidem ad ea quae in scribendo peccavisset corrigenda

---

[1]) Classen: Thukydides p. LXXXVI; alia exempla eodem loco attulit.

singulas operis sui partes recensere solitum esse. Quod ad nostrum de Thucydide iudicium non multum valere videatur. — Maior tamen quaestio est, ut examinetur, num scriptor cum librum componeret quaedam perpolienda vel exornanda in alteram recensionem distulerit. Ea tamen quaestio enunciatorum formis, quales in libro octavo occurrunt, non diiudicatur, cum nemo existimare possit, Thucydidem propterea in scribendo negligentiorem fuisse, quod in animo haberet opus confectum denuo tractare.

Ad tale autem Thucydidis consilium spectat, quod Roscherus dicit, solito saepius in octavo libro formulis *δοκεῖ* vel *λέγεται* vel *ὡς εἰκός* eum uti.[1]) Putat enim Thucydidem eos locos diiudicandos alteri operae reservasse.

Sed multae res, quae in octavo libro enarrantur, tales sunt, de quibus scriptor dubitare facile potuerit, atque ita, ut sperare non posset, fore ut aliquando quidquam certi repperiretur. Nam cum saepissime scriptor suspicaretur, quibus cogitationibus homines ad aliquid agendum commoti essent, eas autem fere nemo nisi ipsi illi homines scire possent, decebat res exploratas ab iis secerni, quas scriptor suspicaretur. Quare ad has enarrandas summo iure apposuit formulas hasce: *δοκεῖ*, *λέγεται*, *ὡς εἰκός*. Sed etiam clarissimo exemplo manifestum fit scriptorem, quamquam de re aliqua iam satis inquisiverit suumque iudicium conformaverit, tamen verbis illis appositis significare velle, rem quandam proferri, quae certo sciri non possit. In capite enim 87 uberrime disputatur, qua causa adductus Tissaphernes naves Phoenicias cum classe Peloponnesiorum non coniunxerit, tribusque sententiis examinatis scriptor, quid ipse putet, explicat, suaeque sententiae verba proponit: *ἐμοὶ μέντοι δοκεῖ σαφέστατον εἶναι.* Quare nemo recte existimaverit et hoc et aliis locis Thucydidem, ut praesenti disquisitioni supersederet, notas illas immiscuisse.

Cum de hoc loco satis dictum esse videatur, quamquam multo uberius disputari poterat, ad tertium venimus, ex quo quidam collegerint, Thucydidem librum octavum negligentius composuisse idque popterea, quod in animo haberet, ad eum tractandum postea denuo accedere.[2])

---

[1]) Roscher p. 124.

[2]) Dietrich p. 20. Quaestionem diligentissimam de classibus quae libro octavo commemorantur Mewes instituit (p. 20—32). Ex qua quamquam

Initio enim c. 16 accepimus Strombichidem ducem cum octo navibus Atheniensium fuisse, et in c. 17 (§ 3) Thrasyclem duodecim suas naves cum Strombichide coniunxisse; attamen scriptor pergit, undeviginti navibus Atheniensium Milesios a mari interclusos esse.

Quae numerorum discrepantia negligentiae alicui scriptoris iuste attribui non potest. Apparet enim c. 16 Strombichidem non uno cursu ab insula Teo ad Miletum navigasse, sed ad Samum insulam appulisse ibique aliquantum temporis spatium moratum esse; unde suspicari possumus aliqua de causa Strombichidem non cum octo sed cum septem navibus ad Miletum profectum esse. Porro in c. 23 (§ 1) scriptor narrat, viginti Atheniensium naves ad insulam Laden in statione fuisse. Quod si postero loco Thucidides eum quem exspectamus numerum recte attulit, colligere possumus, priore loco eum non errasse sed unam navem postea demum ceteras secutam esse, de qua remanenti quidquam afferri non opus esse videretur.

Neque aliter de altero loco quem Dietrichius citavit iudicandum est.[1] Quamquam enim in c. 19 Dimedontem Atheniensem cum sedecim navibus advenisse legimus, et in c. 23 narratur, Leontis decem navibus associatis classem Atheniensium viginti quinque navium fuisse, tamen cogitari facile potest, unam navem a Diomedonte ad Samum relictam esse.

Multo maiorem nobis dubitationem c. 104 movet. Nam cum ratione ex capitibus 100 et 102 et 103 instituta appareat, tunc temporis Atheniensium naves octoginta quatuor fuisse, capite 104 memoriae traditur, Athenienses cum septuaginta sex, Peloponnesios cum duodeseptuaginta navibus in pugnam iniisse.

Paragrapho tamen quinta eiusdem capitis scriptor docet, Athenienses a Peloponnesiis propterea victos esse, quod classis eorum his inferior esset; quod dici non potuit, nisi navium Atheniensium numerus aliquanto minor erat quam Peloponnesiorum. Unde apparet, neque ex ea ratione quam instituimus iudicare nos debere, quot naves utriusque partis in pugna fuerint, cum trium tantum navium discrimen praebeat, neque plurimorum codicum

---

apparuit a Thucydide numeros navium non omnibus locis accuratissime relatos esse, tamen censemus eam quam supra de hac re protulimus sententiam non refutari. Hoc enim si scriptor facere volebat, multo magis in vitium illud narrationis saepe interruptae incurrere debebat, quod vitium a Mewesio ipso reprehensum est.

[1]) Dietrich p. 20.

lectionem probandam, qui Lacedaemonios Atheniensibus inferiores fuisse significent. Ad Thucydidis stilum autem hanc lectionem propterea revocare non possumus, quod talis error nimius est, quam ut Thucydidi, etiamsi negligentissime scripserit, attribui possit. Quare consentaneum videtur, pro verbis *ὀκτὼ καὶ ἑξήκοντα* eum numerum qui in codice Clarendoniano exstat *ὀκτὼ καὶ ὀγδοήκοντα* in paragraphum alteram recipi. Quae res Diodori testimonio optime fulcitur, qui in ea pugna enarranda dicit Lacedaemonios duodenonaginta navium fuisse.[1]) Ne tamen etiam quem Atheniensium navium numerum Diodorus protulit[2]) pro vero habeamus, ea consideratione impedimur, quod ipse dicit, Athenienses, qui cum sexaginta navibus essent, cum viginti quinque triremes sociorum exspectarent, tres tantum secum coniunxisse. Deinde autem, ut Diodorus narrat,[3]) priusquam proelium committerent, complures dies morati sunt, ut verisimile sit, etiam alias socias advenisse. Quare mutato illo numero qui de Peloponnesiacis navibus relatus est, Thucydidis verba in dubium non iam vocanda videntur, neque quidquam negligentiae attribuendum, cum non fuerit, cur exponeret, quem ad modum numeri navium diem ex die mutati essent.

Ut iam toti nostrae disputationi finem imponamus, mirantur Roscherus, Mewes, alii,[4]) Thucydidem quibusdam libri octavi locis, quid de hominibus iudicaret, praeter consuetudinem aperte protulisse, idque iudicium saepe tale evadere, quod a reliquis scriptoris sententiis abhorreat.

Sed primum quidem supra iam demonstratum est,[5]) Thucydidem quid de hominibus cogitandum esset, identidem aperuisse, nec minus apparuit (p. 34), qua ratione adductus scriptor de Antiphontis natura atque indole uberius disseruisset. Et quam-

---

[1]) Diodorus l. XIII c. 39: *Λακεδαιμόνιοι ἐξέταξαν τὸν στόλον εἰς ναυμαχίαν ὄντα νεῶν δυοῖν ἔλαττον τῶν ἐνενήκοντα.*

[2]) Diodorus l. XIII c. 38: *οἱ τῶν Ἀθηναίων στρατηγοὶ θεωροῦντες παραπλέοντες ἀνήχθησαν ἐπ᾽ αὐτοὺς μετὰ νεῶν ἑξήκοντα.*

[3]) Diodorus l. XIII c. 39: *οἱ δ᾽ Ἀθηναῖοι οὐκ ἀνέμειναν ἁπάσας τὰς παρὰ τῶν συμμάχων τριήρεις, τριῶν δὲ μόνον προσγενομένων αὐτοῖς ἐδίωκον τοὺς Λακεδαιμονίους κ. τ. λ.*

[4]) Roscher p. 243, Mewes p. 32 33. Dietrich p. 32.

[5]) p. 10. 11.

quam concedendum est, ea quae de Hyperbolo (c. 73,3) proferuntur, facile reticeri potuisse, tamen, si narrabatur Hyperbolum exulem fuisse, scriptori etiam explicandum erat, qua de causa ex patria expulsus esset, ne cui quadam maiore auctoritate fuisse videretur.

Admodum alio argumento ea refutare possumus, quae de c. 86 Roscherus protulit, cum dicat, Thucydidem, si ad eum locum retractandum accessisset, laudem in Alcibiadem nimis collatam leniturum fuisse. Disertis enim verbis ipse scriptor explicat, quibus de causis iudicandum sit, Alcibiadem tunc temporis patriae maxime profuisse, quod iudicium tam diligenter probatum postea eversurus fuisse nobis non videtur. Ceterum ipsa laus Alcibiadi attributa non maxima est, cum scriptor nihil dicat, nisi tunc Alcibiadem primum id fecisse, qnod unumquemque civium facere deceret, ut patriam omnibus viribus adiuvaret.

Porro Roscherus librum octavum non omnibus ex partibus excultum esse inde demonstrare conatur, quod paragrapho quarta c. 24 temperantia Lacedaemoniorum nimiis laudibus efferatur,[1]) atque etiam Dietrichius, qui Pericleam aetatem silentio praeteriri miratur, totum hunc locum, qui est a verbis *Χῖοι γὰρ μόνοι* usque ad *τὴν ἁμαρτίαν ξυνέγωσαν* a Xenophonte immissum esse existimat.[2])

Attamen haec consideranda sunt: Thucydides ut veri amantissimus erat, ea, quae laude digna viderentur, praedicare nunquam dubitavit. Ut ipsorum Lacedaemoniorum virtutem ac disciplinam saepius commemorat[3]) nec minus Lacedaemoniorum rerum magnam peritiam testatur.[4]) Quare mirari non possumus, quae in Spartanis laudabilia erant, a scriptore suis locis laudari, neque quisquam negaverit, Lacedaemonios in omnibus rebus maximam temperantiam semper praestitisse. Sed ne Roscherus quidem existimare potest Thucydidem in altera libri octavi recensione illam laudem Lacedaemoniis tributam omnino deleturum fuisse, cum intelligi non possit, quanam de causa prius aliquid scripserit quod postea deleturus esset. Immo Roscherus idem quod Dietrichius vituperare videtur, de Lacedaemoniis et Chiis solis illud laudari neque scriptorem Pericleae aetatis mentionem facere.

---

[1]) Roscher p. 243.
[2]) Dietrich p. 32.
[3]) cfr. V, 66; 72; 75, 3.
[4]) cfr. V, 62 ad fin. 68. 73 ad fin.

Sed reputandum est, Thucydidem non de quodam rei publicae gerendae modo verba facere sed de natura atque indole civium; et quamquam etiam Pericles in oratione funebri Atheniensium moderationem collaudaverat, tamen Thucydides non ignoravit eam magis Periclis ingeniosissimi gubernatoris auctoritate effectam esse, populum Atheniensem autem natura semper fluctuantem fuisse.[1]) Chios atque Lacedaemonios praedicat, quamquam non aperte dicit, quod semper moderate se gesserint, quae quidem laus in Athenienses minime cadit.

Multo autem magis quam Roscherus Dietrichius errare videtur, qui totum locum quem supra notavimus a Thucydide abiudicandum esse existimat. Disputatio enim quae illam Chiorum praedicationem sequitur, quaque de ratione eorum agitur adeo Thucydidis ingenium atque acerrimum iudicium redolet, ut ea ipsa re genuinam se esse probet.

Roscherus porro nec minus Dietrichius improbant,[2]) quod c. 97 Thucydides eam civitatem Atheniensium celebrat, qua imperium ad quina milia civium delatum est.

Quae tamen laudatio non ita maxima fuisse videatur. Non enim, id quod Curtius censet,[3]) scriptor illam omnium optimam fuisse dicit, sed admodum bonam, cum verba *οὐχ ἥκιστα εὖ* pro *ἄριστα* posita esse existimanda non sint. In quo iudicio Thucydidis de Periclea aetate existimatio salva esse poterat, cum utriusque temporis id summum commune fuisset, quod cum moderatione res gerebantur. Ut id autem fieret Thucydidis maxime intererat. Porro ipsa illa laus verbis *τὸν πρῶτον χρόνον* admodum coërcetur.

Sed cum hoc Thucydides adiungat, mirum est, neminem, ut videtur, virorum doctorum in sequentibus verbis *ἐπί γ' ἐμοῦ* offendisse, quae maximam dubitationem praebeant. Nam ne enunciatum, de quo agimus, vertamus ‚usque ad meam quidem aetatem omnium civitatum haec, qualis initio erat, non deterrima fuit' impediunt verba ‚*ἐπί γ' ἐμοῦ*, quae significare non possint ‚usque ad meam aetatem' sed ‚mea aetate'. —

Sed ne cum iis quidem, quas ipse scriptor vidit, civitatibus ea quae tunc erat, comparatur, cum si id Thucydides facere vellet,

---

[1]) Cuius rei praeclarissimum exemplum ipsa illa tempora praebent, in quibus enarrandis illud de Chiis et Lacedaemoniis praedicatur.

[2]) Roscher p. 243. Dietrich p. 34.

[3]) Curtius, Griech. Geschichte II, 4. Auflage. S. 719.

dicendum erat fere: *καὶ οὐχ ἥκιστα τῶν ἐπί γ' ἐμοῦ αὕτη ἡ πολιτεία τῶν Ἀθηναίων τὸν πρῶτον χρόνον ἀγαθὴ ἐφάνη.* Quare illud *ἐπί γ ἐμοῦ* non aliter interpretari possumus, nisi ut dicamus, scriptorem magna cautione declarare, quoad ipse viveret, civitatem bonam fuisse, sed iam dubitare, num postea in eodem statu perseveratura sit. Tale autem dicendi genus admodum mirum est. Nam ne dicam illam civitatem non usque ad id tempus bonam fuisse, quo illud *ἐπί γ' ἐμοῦ* scriberetur, id ne ipsum quidem existimasse Thacydides eo ostendit, quod verba *τὸν πρῶτον χρόνον* addit. Quid? nonne mirificum esset, si idem tempus duobus modis significaretur? Immo verbis *τὸν πρῶτον χρόνον* significatur, bonam civitatem mox depravatam esse. Quare putamus, illud *ἐπί γ' ἐμοῦ* ab alio homine in textum immissum esse, qui notare vellet, postea res iniquiores factas esse nec tamen cogitaret, id iam Thucydidis tempore accidisse atque etiam verbis *τὸν πρῶτον χρόνον* iam significatum esse.

Denique nobis de hoc loco dicendum est, qui a Dietrichio in dubitationem vocatus est:[1]) *πολλὰς ἐλπίδας εἶχον αὐτοί θ' ἑαυτοῖς οἱ δυνατοὶ τῶν πολιτῶν τὰ πράγματα, οἵπερ καὶ ταλαιπωροῦνται μάλιστα, ἐς ἑαυτοὺς περιποιήσειν καὶ τῶν πολεμίων ἐπικρατήσειν.* In quo enunciato verba *οἵπερ καὶ ταλαιπωροῦνται μάλιστα* non sententia optimatium Samiorum addita esse Dietrichius recte demonstravit. Ea autem a Thucydidis iudicandi et disserendi ratione abhorrere, equidem non dixerim. Sed ipsa illa verba maximam offensionem praebent. Non enim in universum de optimatibus dicendum fuit sed de Samiis optimatibus, quo fit ut dicendum fuerit *ἐταλαιπωροῦντο* pro *ταλαιπωροῦνται*, eaque vox in iusto disputandi ordine post *πολιτῶν* vel post *ἑαυτοὺς* ponenda fuit. Quod peccatum si a Thucydide commissum est, qui excusemus non habemus, cum iis minime assentiri possimus, qui morbo confectum Thucydidem ad octavum librum minorem curam attulisse dicant. Constat enim Thucydidem haud ita ad maximam vitae aetatem pervenisse,[2]) et verisimile est eum non morbo defessum diem supremum obiisse sed a latronibus interfectum esse.[3])

---

[1]) Dietrich p. 33.

[2]) Mortuus est ante annum CCCXCVI (cfr. Ullrich, Beiträge zur Erklärung des Thuk. S. 92. 93); natus est, si Pamphilae testimonio credere possumus (Gellius, N. A. 15, 25) anno CCCCLXXI.

[3]) Pausan. I, 23, 11. Plut. vita Cimon. c. 4. Marcellinus § 31—34.

Recteque ut ex multis exemplis apparet,[1] Dahlmannus dixit,[2] eos Graecorum, qui vitam naturae accomodatam degerent, literisque et cogitationibus animos exercerent, usque ad extremam senectutem firmitatem ingeniorum retinuisse. Porro Thucydidem in libro octavo componendo valida mente fuisse, etiam ex aliis eius libri locis argute cogitatis et praeclare disputatis apparet.

Quare existimandum videtur de quibus disputatur verba postea in textum immissa esse; et cum eo loco occurrant, quo sana ratione esse non debeant, cogitare possumus, ea ab auctore suo primum vel supra vel iuxta versum posita postea inepto loco inserta esse. Ac si quis praeter omnium scriptorum librorum auctoritatem eam sententiam suam facere dubitet, considerandum est, id quoque enunciatum, quod in fine libri octavi invenitur, quamquam falsum est, tamen omnibus codicibus uno excepto probari. Is autem unus codex non propterea illo enunciato vacat, quod ex sinceriore fonte emanaverit, sed quia librarius ea verba non genuina esse intellexit. Unde perspicuum fit pravam lectionem facile in omnes libros pervenire potuisse.

Quibus rebus disputatis officium, quod nobis proposuimus, iam praestitisse videbimur, si nostras de libri octavi natura sententias paucis composuerimus.

Iudicamus autem primum, librum octavum a ceteris eo discrepare, quod directis orationibus paene vacet; cum autem ea penuria ad proprium argumentum revocanda sit, veram discrepantiam non esse.

Alterum, sermonem quidem plures atque maiores quam in ceteris libris asperitates praebere, eas tamen non ortas esse inde, quod scriptor quandam negligentiam in dicendo sibi indulserit considerans se postea ad alteram tractationem accessurum esse, sed relictas esse propterea, quod scriptor hanc partem operis denuo percensere non potuerit; neque apertum esse, quantum inconcinnitatis argumento tractatu admodum difficili et malae codicum naturae attribuendum sit.

Tertium, ea quae in libro octavo a veris rebus et sententiis Thucydidis abhorrere dicantur, partim omnino non abhorrere, partim ab alio aliquo auctore addita esse.

---

[1]) cfr. Lucian. Macrob.

[2]) Forschungen 2, 1 S. 125.

Vita.

Natus sum Paulus Hermannus Martinus Hellwig Sommerfeldae Marchiae in urbe die XXIX m. Nov. h. s. a. LI patre Friderico matre Augusta e gente Schuster, quem utrumque parentem crudeli morte mihi ademptum lugeo. Fidem confiteor evangelicam.

Postquam primis literarum elementis in schola civica quae dicitur patriae urbis imbutus sum, pater amantissimus Zuellichaviam me misit, ut gymnasium frequentarem. Sex mensibus post ex ea urbe avocatum me Berolinum duxit, ut examine sustentato in numerum alumnorum regii gymnasii Joachimici reciperer, quod gymnasium tunc florebat Kiessling directore, viro maxima veneratione digno. Atque examine quod dicitur maturitatis probatus m. Oct. h. s. a. LXXI a rectore magnifico Prof. Dove numero civium academicorum universitatis literarum Frieder. Guil. Berolinensis et a decano excellentissimo Prof. Mommsen philosophiae studiosorum adscriptus sum. Anno post Marburgum Chattorum me contuli, ut studia philologica porro tractarem. Ubi cum bis sex menses moratus essem, Berolinum redii et ter sex menses in universitate in studia plilologica incubui. Scholas audivi virorum doctissimorum Caesar, Harms, Haupt, Hübner, Justi, Kirchhoff, Lange, Lucae, Mommsen, Müllenhoff, Nissen, Schmidt, Steinthal, v. Sybel. Sodalis ordinarius per bis sex menses fui regii seminarii philologici Marburgensis.

Theses.

I.

In quaestionibus de Plutarchi vitis instituendis non minus inquirendum est, qua ratione scriptor auctoribus suis usus sit, quam quibus usus sit, id quod et ad historicam cognitionem et ad nostrum de Plutarcho iudicium plurimum valet, nec tamen ab omnibus satis intellectum est.

II.

Cp. XXVIII et XXIX Pyrrhi Plutarchei biduum Pyrrhus ad Spartam pugnasse narratur. Re vera per unum diem pugna fuit. Plutarchus autem cum de eadem pugna ex historiis et Phylarchi et Hieronymi Cardiani argumentum petisset, quod uno die factum est duobus deinceps diebus gestum esse putavit.

III.

Platoni dialogum de re publica componenti primarium propositum erat, eius civitatis, quae optime apud homines institui posset, imaginem depingere.

IV.

Thuc. II c. 40 § 4 verba *βεβαιότερος δὲ ὁ δράσας τὴν χάριν ὥστε ὀφειλομένην δι' εὐνοίας ᾧ δέδωκε σώζειν* melius intelliguntur, si ad *ὀφειλομένην* suppletur *ἀρετήν*.

V.

In cantilena Ezzonis (Denkmäler deutscher Poësie und Prosa XXXI), Müllenhoffius genuina paene recte separavit ab iis, quae ab aliis auctoribus addita sunt. Singulis autem quibusque strophis duodecim tantum versus attribuendi sunt, cum in eas strophas, quae hunc modum excedere videntur, versus a librariis immissi sunt. Notavi autem hos: 1, 11. 12; 13, 3. 4; 14, 9—12; 15, 7. 8; 28, 5. 6.

Cothenae
typis Schettlerianis.